

11699

Liber Sigismundi

[illegible] françois

de Villars.

# ENCHIRIDION
SIVE
# MANUALE FRANCISCANUM,

COMPLECTENS

Declarationes Summorum Pontificum NICOLAI III. & CLEMENTIS V. ſuper Regulam Fratrum Minorum, Quæſtiones D. Bonaventuræ ſuper eandem, Epiſtolam item ejus ad Magiſtrum Inominatum: Compendium Commentarii Patris Marchant, nec non quædam alia Fratribus Minoribus apprimè utilia

*Impreſſum pro Uſu*

Patrum, & Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Provinciæ S. LADISLAI REGIS

EX

*Mandato, & pia ſolicitudine*

A.R.P. CHERUBINI FABSICH

Ejusdem Inſtituti, & Provinciæ Prædicatoris, Lectoris Jubilati, ac tertiò Miniſtri Provincialis actualis

*Anno Reparatæ Salutis M.DCC.LXVIII.*

---

ZAGRABIÆ,
In Domo Regnicolari per Anton. Jandera p.t. Factor.

Anno 1769

Pro Usu Simplici Dati Sunt
pro Sacris duobus Patri
Sigismundo Dorsos de Kiss
Jând e Comitatu Saladiensi




*

*

Id præ aliis diſcendum, quod deinceps ægriùs quisque vellet oblivisci: ac vice verſa, illud potiùs relinquendum, quod oblivisci quis libentiùs vellet, *S. Auguſt*, 1 *Confeſs.* 13,

Iners malorum remedium, ignorantia eſt. *Seneca Oedip.*

Si quis autem ignorat, ignorabitur. *1,Corinth.* *14. v. 38.*

# PRÆFATIO AD FRATRES.

*Quemadmodum id quidem omnium planè mortalium naturis insitum esse certissimum est, ut nemo in hoc mundo dejecti adeò sit animi, quin in altera ad minus vita desideret esse beatus; ita, imò sinè comparatione magis, omnis Frater Minor, tam rectæ, probæque mentis censendus est, ut post policitam jurejurando vitam regularem, secundùm quam eggressus de domo Patris, & cognationis suæ, incruentam sese DEO fecit victimam de propria voluntate, semetipsum stringens, semetipsum abnegans, ad imitationem Christi, factus obediens usque ad mortem: ut inquam exoptet vitam deinceps suam ita ad sui præscriptum instituti, ac ter sanctæ observantiam Regulæ ordinari, ut post decursum mortalitatis stadium, dignus sit accipere bravium, appromissum scilicet centuplum, & vitam æternam. Quoniam autem hæc ipsa religiosarum mentium solici-*

citu-

*citudo varios variè afficit, & ex se ipsa nimis diversos in diversis effectus producit, quòd adeò quidam, nimis coarctatè vitam instituentes, ibi etiam formident Regulæ transgressionem, ubi Fundatoris Consilia sunt, aut planè formales concessiones: non pauci verò, anxiè, incertô veluti navigiô fluctuantes, vano timore subdubitent, utrum ea vivendi ratio, quæ passim à probis, & suæ salutis studiosis in Provincia quapiam observatur, tuta sit, & certa ad perfectionem via, quam Sanctus demonstravit Institutor, Sanctique ejus ingressi sunt asseclæ? Nonnulli demum nimiâ quoque relaxati confidentiâ, Deo arbitrentur se obsequium præstare in vita nil minus, quàm ad licitos Fratrum Minorum modos, ac intentionem Regulæ attemperata: aliis nempe hac modalitate in sinistram, in dexteram verò aliis incautè deflectentibûs, ac paucissimis in virtutis medio hilariter, & sinè scrupulo progredientibûs. Hinc visum est necessarium esse, cunctorum infirmitates adjuvari, hos animari illos dehortari, atque universos ad Communem cordis sensum, & intelligentiæ uniformitatem inviari; quod fieri haud poterat, nisi cuncti ad eorundem librorum lectionem adhortarentur: Quia verò ad id conducentes libri, partim & nimis*

*mis*

*mis pauci numerò, paupertati nostræ suppe terent, ut adeo in singulorum manus dari haud potuerint; partim autem, ii etiam, qui suppeterent, tam obscura, & tædiosa essent prolixitate, ut eam, iuxta Religiosæ vitæ occupationes paucissimi pervadere quirent: eapropter universorum indigentiæ simul, ac utilitati secùs provideri vix fuerat possibile, quàm per istiusmodi opusculi alicujus editionem, quod, ceu Enchiridion quodpiam optimarum cognitionum, & singulorum manibus ad assiduam Lectionem offerri posset, & levi manu valeret gestari, perlegi, intelectione comprehendi, complecti memoriâ. Hac igitur de solicitudine, atque ex finibus istis, Vobis offertur Amantissimi Patres, & Fratres Provinciæ S. Ladislai Manuale istud, seu Enchiridion Franciscanum, ut nempe nedum ignorantia statûs, quæ apud universos homines maximè detestabilis est, unico veluti ictu ab omnibus averuncaretur; verùm etiam, ut felici industriâ, intimæ Instituti nostri notitiæ, cunctorum mentibus, animisque pariliter insererentur; siquidem ex hoc unico, spes affulgere videbatur haud inanis, ut deinceps nos inter, non tantùm Cor unum sit, & anima una sed unum etiam labium, de observantia scilicet*

cet

*cet Regulæ, ac omnibus. Observantiæ modis æqualiter resonans, & per omnia æquales exprimens conatus; ex quo subinde Deo oppitulante vera apud nos consistat Fraternitas, quæ nullis verborum etiam dissensionibus violari possit, verùm de qua Davidicum illud verificetur, & verificetur Epiphonema: Ecce quàm bonum, & quâm jucundum, habitare Fratres in unum? in unum videlicet Doctrinæ Religiosæ, & in unum sanctæ Conversationis. Enchiridion porrò istud literalem Regulæ ter Sanctæ notitiam præsupponit, necque in se complectitur quidquam, quod non aut de sede Apostolica processisset, cujus pedibus Sanctus Pater noster Franciscus, se, Regulam, & nos, Fratres suos omnes subjecit, aut scriptum esset ab illis, quos in Sanctorum numerum, à Sancta Romana Ecclesia relatos, certò constat jam regnare cum Christo: aut verò jam aliàs probè examinatum, approbatùmque exstitisset. Atque ex his quidem omnibus, primum locum obtinent Declarationes Nicolai III. & Clementis V. quæ præ cæteris quorumcunque etiam Sanctorum elucidationibus firmitatem jam in tantum habent, ut eis cætera cunctorum Sensa, & Scripta ce-*

*dere debeant, hæque prima Enhiridii parte legi poterunt. Secundo locô se offerunt Quæstiones Divi Bonaventuræ, Super Regulam, & statum Fratrum Minorum, ejùsque Epistola ad Magistrum Inominatum, qui aliunde Sanctissimo Fundatori nostro Francisco, non vitâ modò, sed ætate quoque admodum vicìnus, aureô illô nascentis Religionis nostræ sæculô, Regiminis, & Sanctimoniæ experiantiâ claruit. Tertia demum parte collocatum est Compendium Expositionis Patris Marchant, Extractus Summarius ex Declarationibus Pontificum, ac Specialis quæpiam Praxis Devotionaria, res singulæ apprimè utiles, ut adeo in toto hoc manuali de nostro adjectum, omnino vix aliud sit, quàm voces, eundem planè sensum exprimentes, vel verò quæ obscurius dicta videbantur, quondoque nonnihil clariora reddentes, Accipite itaque Patres, & Fratres Charissimi! hoc Enchiridion, & qualemcunque Solicitudinem, ac laborem in hoc opello pro cunctis collocatam, æqui, bonique consulite; atque quod præcipuum est, ita illud manibus terite, ita revolvite: ita seriò expendite, & ruminate, ut tutum, certumque iter, quod Sancta Sedes Apostolica probavit, Sanctique Ordinis Nostri*

*stri propriâ vitâ commendarunt, tenentes, animo quietô, Sanctæque Paupertatis, Obedientiæ, Castitatis, cæterarùmque Virtutum studiosô, vitam agatis nomine vestro, & Professione solenni dignam. Hoc enim solo, id quod Zelô mandantis propositum erat, Opusculum istud certissimè assequetur*

ITA

Enchiridiom ipsum
Per Cuncta Precatur.



# PARS PRIMA.

## Complectens Declarationes ſuper Regulam, duorum ſummorum Pontificum NICOLAI III. & CLEMENTIS V.

### Incipit Declaratio Domini NICOLAI PAPÆ III. ſuper Regulam fratrum Minorum.

*Nicolaus Epiſcopus, Seruus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

EXiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum de ſinu Patris mundum, veſte ſcilicet humanitatis indutus Dei Filius JEſus Chriſtus, verbum Evangelicum ſaturus in ſingulos, probos, & reprobos, inſipientes & gnaros, ſtudioſos & deſides, & juxta Prophetam, colonus futurus in terra; ſemen ſuum, doctrinam ſcilicet Evangelicam, ſine delectu diſperſit in omnes: qui omnia tracturus ad ſe, omnes ſaluare venerat; qui tandem ſeipſum Deo Patri pro ſalute omnium in redemptio-

nis humanæ precium immolauit. Licet autem hoc ſemen in ſingulos communicatiua Dei charitate diſperſum aliud ceciderit ſecus viam, ſuper corda ſcilicet dœmonum ſuggeſtionibus peruia, aliud ſupra petram, corda ſcilicet nullo fidei vomere penetrata; aliud inter ſpinas, corda ſcilicet hominum, diuitiarum ſolicitudinibus lacerata; & ideo vnum prauis affectibus conculcatum; aliud aridum, quia gratiæ carebat humore; reliquum vero legitur inordinatis ſolicitudinibus ſuffocatum: aliud tamen mite cor & docile terra bona ſuſcepit.

Hæc eſt Minorum fratrum mitis & docilis in paupertate ac humilitate per almum Chriſti Confeſſorem Franciſcum radicata religio; quæ ex illo vero ſemine germinans, germen illud ſparſit per Regulam in filios: quos ſibi & Deo per ſuum miniſterium in obſeruatione Evangelii generat. Iſti ſunt filii, qui, dicente Jacobo capit. 1. Verbum æternum, Dei filium, inſitum humanæ naturæ in horto virginalis uteri, potens ſaluare animas, in manſuetudine ſuſceperunt. Hi ſunt illius ſanctæ Regulæ Profeſſores, quæ Evangelico fundatur eloquio, vitæ Chriſti roboratur exemplo, fundato-

rum

rum militantis Ecclesiæ Apostolorum ejus sermonibus actibusque firmatur. Hæc est apud Deum & Patrem munda & immaculata Religio; quæ descendens a Patre luminum per ejus filium exemplariter & verbaliter Apostolis tradita; & demum per Spiritum Sanctum beato Francisco & eum sequentibus inspirata; totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. Hæc est, cui attestante Paulo (*Ad Gal. 6.*) nemo de cætero debet esse molestus: quam Christus passionis suæ stigmatibus confirmauit: volens institutorem ipsius passionis suæ signis notabiliter insigniri.

Sed nec sic contra ipsos fratres Minores & Regulam, hostis antiqui cessauit astutia: quin potius contra eos nitens superseminare zizania; interdum æmulatores agitatos inuidia, iracundia, & indiscreta justitia concitauit, mordentes fratres, & eorum Regulam quasi illicitam, inobseruabilem, & discriminosam, caninis latratibus lacerantes; non attendentes, hanc sanctam Regulam ut prædidicitur, præceptis ac salutaribus monitis institutam, Apostolicis obseruationibus roboratam, & etiam per Sedem Apostolicam confirmatam, tot diuinis testimoniis communi-

tam quæ credibilia facta sunt nimis, in tot sanctis viris in obseruantia huius Regulæ agentibus, & finientibus dies suos, quorum nonnullos sanctorum catalago Sedes eadem, ex eorumvita & miraculis fecit adscribi; ac nouissime quasi diebus istis per piæ memoriæ Gregorium Papam nonnum prædecessorem nostrum approbatam esse, ex euidenti utilitate, quam de ipsa consequitur uniuersalis Ecclesia, in generali Lugdunensi Concilio exstitit declaratum. Nec nos minus attendimus, imo profundius cogitamus, sicut pensare debent subtilius cæteri Catholicæ fidei professores, quod ipse Deus Ordinem prædictum & ejus obseruatores inspiciens, sic eos ab insurgentibus in ipsos rancoribus salutari præsidio præseruauit, quod nec ipsos fluctus tempestuosus allisit, nec animos in Ordine ipso degentium consternauit; quin potius in vigore regulari concrescant, & amplientur in suorum obseruantia mandatorum.

Verumtamen ut Ordo prædictus quibuslibet præcisis anfractibus distincta & pura vigeat claritate, sicut fratres ejusdem Ordinis nuper in generali Capitulo congregati prouiderant, dilectis suis filiis Generali, & nonnul-

nullis aliis Prouincialibus ejuſdem Ordinis Miniſtris qui in Capitulo ipſo conuenerant, in noſtra præſentia conſtitutis, cum ad plenam obſeruationem Regulæ ejuſdem, in vigore ſpiritus eorum feruere noſcatur intentio: viſum eſt nobis, mordacibus huiuſmodi mordendi vias præcludere; aliqua quæ in ipſa Regula videri poterant dubia, declarare; nonnulla per prædeceſſores noſtros declarata, pleniori claritate diſſerere, in aliquibus etiam Regulam ipſam contingentibus, puritati eorundem conſcientiæ prouidere.

Nos autem quia a teneris annis ad Ordinem ipſum affectus noſtros ereximus in illis ſuccreſcendo: cum aliquibus ejuſdem Confeſſoris ſociis, quibus ejus vita & conuerſatio nota erat, ſuper ipſa Regula & ſancta ipſius beati Franciſci intentione frequenti collatione tractauimus: & tandem Cardinalis ac poſtmodum ejuſdem Ordinis per prædictam Sedem Gubernator, Protector, & Corrector effecti, conditiones prædicti Ordinis ex imminenti nobis cura palpauimus. In Apoſtolatus officio, tam de pia intentione Confeſſoris prædicti, quam de his quæ Regulam ipſam & ejus obſeruantiam contingunt, ex

prædictis longa etiam experientia informati, nostros ad Ordinem præfatum conuertimus cogitatus: & tam ea quæ per prædecessores eosdem approbata & declarata esse noscuntur, quam etiam Regulam, & eam contingentia maturitate plena discussimus: nonnulla in præsenti serie statuimus, declarauimus, certius approbauimus, approbata confirmauimus, edidimus, & concessimus plura etiam ordinando seriosius & clarius, quæ infra scriptis articulis plenius exprimuntur.

## I. ARTICULUS REGULÆ.

*De obseruantia Evangelici consilii & præcepti.*

IN primis quia (sicut intelleximus) ab aliquibus hæsitatur, an fratres ejusdem Ordinis tam ad consilia quàm ad præcepta Evangelii teneantur; tum quia in Regulæ prædictæ principio habetur: Regula & vita Minorum fratrum hæc est, scilicet Domini nostri JESU Christi sanctum Evangelium obseruare, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate; tum ex eo, quod in eadem Regula continetur sic: Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam,

tiam, promittentes vitam iſtam ſemper & Regulam obſeruare; tum etiam quia in fine ipſius Regulæ continentur hæc verba: Paupertatem & humilitatem ac ſanctum Evangelium Domini JESU Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſeruemus. Licet felicis recordationis Gregorius Papa nonus, prædeceſſor noſter, hunc articulum & nonnullos ejuſdem Regulæ declarauit: quia tamen ejus declaratio propter aliquorum inſurgentium in fratres & Regulam inordinatos vel mordaces inſultus, & multorum poſtea emergentium caſuum conſiderandos euentus: in aliquibus obſcura, in aliquibus ſemiplena, & in multis etiam contentis in ipſa Regula, inſufficiens videbatur; nos obſcuritatem ac inſufficientiam huiuſmodi perfectæ interpretationis declaratione amouere volentes, & cujuslibet ambiguitatis ſcrupulum in eiſdem de ſingulorum mentibus plenioris expoſitionis certitudine amputare: dicimus, quòd cùm in principio Regulæ non abſolutè, ſed cum quadam modificatione ſeu determinatione ſeu ſpecificatione ponatur, Regula & vita Minorum fratrum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri JESU Chriſti ſanctum Evangelium obſeruare, viuendo in obedi-

entia, ſine proprio, & in caſtitate. Quæ tria eadem Regula multùm arctè proſequitur, & nihilominus alia nonnulla ſubnectit, præcipiendo, prohibendo, conſulendo, monendo, hortando, & ſub aliis verbis ad aliquem modorum reducibilibus prædictorum; de intentione Regulæ liquere valet apertiùs, ut illud quod in profeſſione quaſi abſolutè ſubnecti videtur, promittentes vitam iſtam ſemper & Regulam obſervare: & quod in fine ſubjungitur. Et ſanctum Evangelium Domini noſtri JESU Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſeruemus: totum ad ipſius Regulæ modificatum vel determinatum ſeu ſpecificatum principium reducatur; videlicet ad obſeruantiam Evangelij (ut prædicitur) per ipſam Regulam in illis tribus modificatam vel determinatam ſeu ſpecificatam, cùm non ſit veriſimile ipſum Sanctum verbum ab ipſo ſemel cum quadam modificatione ſeu ſpecificatione prolatum (licet quaſi ſuccinctorie repertitum) voluiſſe in ſua repetitione data ſibi per eum modificatione vel determinatione ſeu ſpecificatione ſine certa cauſa carere; & utriusque juris argumenta nos doceant, ea quæ in principio ad medium, & ad finem; illa verò quæ in

me-

medio ad finem atque principium: & ea quæ in fine, ad utrumque vel eorum alterum sæpe referri. Et dato quod absolutè diceretur: Promitto sanctum Evangelium obseruare: nisi professor hujusmodi intenderet se ad omnium consiliorum obseruantiam obligare (quod vix aut numquam possit ad literam obseruare, propter quod talis promissio illaqueare profitentis animum videretur) clarè videtur promissionem hujusmodi ad alium intellectum absque intentione promittentis non debere perstringi, nisi ut obseruantia Evangelij sit sicut tradita reperitur à Christo, videlicet quod præcepta, & consilia, ut consilia à promittentibus obseruentur. Quem intellectum etiam in eisdem verbis habuisse idem beatus Franciscus in serie sui processus in Regula patenter ostendit: cum aliqua Evangelica consilia inducat, ut consilia sub verbis monitionis, exhortationis, & consilii, nonnulla verò sub prohibitione ac verbo præcepti. Per quod patet, quod non fuit loquentis intentio, quod fratres ex professione hujusmodi Regulæ ad omnia consilia sicut ad præcepta Evangelica tenerentur, sed solum ad illa consilia quæ in eadem REGULA præceptorie vel

inhibitoriè seu sub verbis æquipollentibus sunt expressa.

*Ad quæ consilia Evangelica, fratres ex professione teneantur.*

Unde nos ad fratrum ejusdem Ordinis conscientias plenarie serenandas declaramus, quod ex professione ejusdem Regulæ fratres ipsi ad ea tantùm Evangelica obseruanda consilia sunt adstricti, quæ in ipsa Regula præceptoriè, seu sub verbis æquipollentibus exprimuntur. Ad nonnulla verò alia per Evangelium data consilia eò magis secundum exigentiam sui status tenentur plus quàm cæteri Christiani, quò per statum perfectionis ( quem per professionem hujusmodi assumpserunt ) se obtulerunt Domino holocaustum medullatum per contemptum omnium mundanorum. Ad omnia autem quæ in ipsa Regula continentur, tam præcepta quàm consilia, quàm cætera, ex voto professionis huiusmodi non aliter tenentur, quàm eo modo quo in Regula ipsa traduntur, ut scilicet teneantur, ad eorum obseruantiam, quæ in eadem Regula ipsis sub verbis obligatoriis indicuntur. Cæterorum verò obseruantiam, quæ sub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatoriis, & in-

instructoriis seu quibuscumque aliis continentur, eatenus magis condecet de bono & æquo eos prosequi: quo imitatores tanti Patris effecti, Christi semitas arctius elegerunt.

## II. ARTICULUS.

*De observantia paupertatis, & abdicatione proprietatis.*

PОrro cùm ipsa Regula expressè contineat quod fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sitque declaratum per eundem prædecessorem nostrum Gregorium nonum & nonnullos alios, hoc seruari debere tam in speciali, quàm in communi, quam sic arctam abdicationem venenosis obtrectationibus aliquorum insensata deprauauit astutia: ne fratrum eorundem perfectionis claritas talium imperitis sermonibus laceretur: dicimus, quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est & sancta, quam & Christus, viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmauit, quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant,

vo-

volentes perfectè viuere, per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos in eos deriuarunt.

Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur, Christum loculos habuisse: nam sic ipse Christus, cuius perfecta sunt opera in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret. Sic infirmorum personam Christus accepit in loculis, sic in nonnullis aliis infirma humanæ carnis assumens (prout Euangelica testatur historia) non tantum carne, sed & mente condescendit infirmis. Sic enim humanam naturam assumpsit, quod in suis operibus perfectus existens, in nostris factus humilis, in propriis permansit excelsus. Sic & summæ charitatis dignatione ad actus quosdam nostræ imperfectioni conformes inducitur, quod a summæ perfectionis rectitudine non curuatur. Egit namque Christus & docuit opera perfectionis; egit etiam infirma sicut interdum in fuga patet & loculis: sed vtrumque perfectè perfectus existens; ut perfectis & imperfectis se viam salutis ostenderet, qui utrosque saluare venerat, qui tandem mori voluit pro utrisque.

*Sum-*

*Summa hæc abdicatio omnis proprietatis, licita est & meritoria.*

Nec quisquam ex his insurgat erroneè, quòd taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes, tanquam homicidæ sui, vel tentatores Dei, viuendi discrimini se committant. Sic enim seipsos committunt diuinæ prouidentiæ in viuendo, ut viam non contemnant prouisionis humanæ: quin vel de his quæ offeruntur liberaliter, vel de his quæ mendicantur humiliter, vel de his quæ conquiruntur per laboritium, sustententur, qui triplex viuendi modus prouidetur in Regula expressè. Profectò (si juxta promissum Saluatoris, *Luc.* 22.) nunquam deficiet fides Ecclesiæ: per consequens nec opera bona subtrahentur. Ex quo Christi pauperibus omnis ratio diffidentiæ cuiuslibet videtur esse sublata, Et quidem ubi (quod non est aliquatenus præsumendum) hæc cuncta deficerent: sicut nec cæteris, sic nec ipsis fratribus jure poli in extremæ necessitatis articulo, ad prouidendum sustentationi naturæ, via omnibus extrema necessitate detentis concessa præcluditur: cùm ab omni lege extrema necessitas sit exempta.

Nec

Nec talem abdicationem proprietatis omnimodæ, renunciationem usus rerum cuique videatur inducere. Nam cùm in rebus temporalibus sit considerare præcipuum; proprietatem, possessionem, usum fructum, jus utendi, & simplicem facti usum, & ultimo tamquam necessario egeat (licet primis carere possit vita mortalium) nulla prorsus potest esse professio quæ à se usum necessariæ sustentationis excludat: verùm condecens fuit ei professioni, quæ spontè deuouit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario usu, fore contentam.

Nec per hoc quòd proprietatem usus, & rei cuiuscumque dominium á se abdicasse videtur, simplici usui omnis rei renunciasse conuincitur: qui, inquam, usus non juris, sed facti tantum modo nomen habens, quod facti est tantum in utendo præbet utentibus, nihil juris. Quinimo necessariarum rerum tam ad vitæ sustentationem, quàm ad officiorum sui status executionem (excepto quod de pecunia infra subjungitur) moderatus usus, secundum eorum Regulam & veritatem omnimodam, concessus est fratribus:

Qui-

Quibus rebus fratres licitè uti possunt, durante concedentis licentia: & juxta quod in præsenti serie continetur.

Nec his obuiare dignoscitur quod ciuilis prouidentia in humanis rebus humanè constituit, videlicet non posse usum vel usum fructuum à dominio perpetuo separari; quod ne dominium dominis (semper abscedente usu) redderetur inutile, temporalem utilitatem tantùm in constituendo prospiciens, ista decreuit. Retentio namque dominij talium rerum cum concessione usus facta pauperibus, non est infructuosa domino, cum sit meritoria ad æterna, & professioni pauperum opportuna que tantò sibi censetur utilior, quanto commutat temporalia pro æternis.

Profectò non fuit Confessoris Christi Regulam instituentis intentio, rerum quarumlibet usum necessarium abdicare: quinimo contrarium in ipsa conscripsit, contrarium viuendo seruauit, cùm & ipse temporalibus ad necessitatem usus fuerit, & in pluribus locis in Regula usum talem licere fratribus manifestet. Dicit namque in Regula, quod clerici faciant diuinum officium, ex quo habere poterunt Breuiaria: ex hoc patenter in-

ſinuans, quod fratres ſui habituri eſſent uſum Breuiarij, & librorum qui ſunt ad diuinum officium opportuni. In alio quoque capitulo dicit, quòd Miniſtri & Cuſtodes pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis fratribus induendis, per amicos ſpirituales ſolicitam curam gerant ſecundum loca, & tempora, & frigidas regiones: ſicut eorum neceſſitati viderint expedire. Alibi etiam exhortans fratres per congruum laboris exercitium ad otium euitandum, dicit, quod de mercede laboris pro ſe & ſuis fratribus corporis neceſſaria recipiant. In alio quoque capitulo continetur, quòd fratres vadant pro eleëmoſyna confidenter. Habetur etiam in eadem Regula, quod in prædicatione quam fratres faciunt, ſint examinata, & caſta eorum eloquia, ad utilitatem & ædificationem populi: annunciando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam. Sed conſtans eſt, quod hæc præſupponunt ſcientiam, ſcientia requirit ſtudium, exercitium verò ſtudij conuenienter haberi non poteſt ſine uſu librorum. Ex quibus omnibus ſatis claret, ex Regula ad victum, veſtitum, diuinum cultum, & ſapientiale ſtudium, rerum uſum fratribus eſſe conceſſum.

Pa-

Patet itaque sanè intelligentibus ex prædictis; Regulam, quoad abdicationem huiusmodi, non solum obseruabilem, possibilem & licitam, sed meritoriam & perfectam, & eo magis meritoriam, quò per ipsam professores ipsius magis à temporalibus propter Deum (sicut prædicitur) elongantur.

## III. ARTICULUS.

*Cui competat dominium rerum fratribus concessarum.*

AD hæc cùm fratres ipsi nihil sibi in speciali acquirere, vel eorum Ordini possint etiam in communi, & cùm aliquid propter Deum ipsis offertur, conceditur, vel donatur: ea (si secùs non exprimat) offerentis, concedentis, vel donantis, verisimiliter credatur fuisse intentio, ut rem huiusmodi oblatam, concessam vel donatam, perfectè concedat, donet & offerat, à se abdicet, ac in alios transferre cupiat propter Deum; nec sit persona in quam loco Dei congruentiùs huiusmodi rei dominium transferatur, quàm Sedes præfata, vel persona Romani Pontificis Christi Vicarij, qui Pater est omnium, & fratrum Minorum nihilominus specialis: ne talium rerum sub

incerto videatur esse dominium, cùm patri filius suo modo, seruus domino, & Monachus monasterio, res sibi oblatas, concessas, vel donatas aquirant, omnium utensilium, & librorum ac eorum mobilium, præsentium & futurorum quæ, & quorum usum (facti scil.) Ordini vel fratribus ipsis licet habere proprietatem & dominium (qualiter felicis recordationis Innocentius Papa quartus prædecessor noster fecisse dignoscitur) in nos & Romanam Ecclesiam Apostolica auctoritate recipimus, & ad nos & ipsam Ecclesiam plenè & liberè pertinere, hac præsenti constitutione in perpetuum valitura sancimus.

Præterea loca empta de eleëmosynis diuersis, & oblata, seu concessa fratribus, sub quacumque forma verborum (licet fratres sibi cauere debeant, quòd in huiusmodi, verbis statui suo incompetentibus non utantur) à diuersis seu pro indiuiso possidentibus, seu certas partes in ipsis locis habentibus, in quibus ipsi possidentes pro indiuiso seu certas partes habentes nihil sibi in oblatione seu concessione huiusmodi reseruarint, similiter & in jus & dominium ac proprietatem nostram & Ecclesiæ prædictæ, eadem auctoritate suscipimus. Lo-

Loca verò ſeu domos pro habitatione fratrum à ſingulari perſona vel collegio ipſis fratribus ex integro concedenda, ſeu etiam offerenda (ſi talia de voluntate conferentis fratres inhabitare contigerit) perſeuerante tantum concedentis voluntate inhabitent: ac illa liberè (præter Eccleſiam & oratoria ad Eccleſiam deſtinata, & cœmiterium, quæ tam præſentia, quàm futura in jus & proprietatem noſtram & prædictæ Romanæ Eccleſiæ ſimili modo & auctoritate recipimus) mutata concedentis voluntate, ac ipſis fratribus patefacta, dimittant; in quorum locorum dominio ſeu proprietate nihil nobis vel præfatæ Romanæ Eccleſiæ retinemus omnino: niſi ea ſpecialiter de noſtro ſeu ipſius Romanæ Eccleſiæ recipiantur aſſenſu: Et ſi in eiſdem locis reſeruauerit dominium ſibi: in concedendo concedens: propter inhabitationem fratrum, tale dominium in jus Eccleſiæ ſæpe dictæ non tranſeat: ſed potiùs plenè liberum maneat concedenti.

Inſuper nec utenſilia, nec alia quorum uſum ad neceſſitatem & officiorum ſui ſtatus executionem licet habere, (non enim omnium rerum uſum habere debent, ut

dictum est) ad vllam superfluitatem, diuitias seu copiam quæ deroget paupertati, vel ad thesaurizationem vel eo animo, ut ea distrahant siue vendant, recipiant, nec sub colore providentiæ in futurum, nec alia occasione: quinimo in omnibus appareat in eis, quoad dominium omnimoda abdicatio, & in usu necessitas. Hoc autem secundùm exigentiam personarum & locorum Ministri & Custodes simul & separatim in suis administrationibus & custodiis, cum discretione disponant: cum de talibus interdum personarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio, & nonnullæ aliæ circumstantiæ, plus minusue, ac aliter providere requirant. Ista tamen sic faciant, quod semper in eis & eorum actibus paupertas sancta reluceat, prout ipsis ex eorum Regula inuenitur indicta.

## IV. ARTICULUS.

*De eleemosynis pecuniariis.*

CEterum cùm in eadem Regula sit sub præcepti districtione prohibitum, ne fratres recipiant per se vel per alios denarios vel pecuniam ullo modo, idque fratres in perpetuum seruare cupiant, & velut iniunctum

ctum necesse habeant adimplere: ne ipsorum puritas in huiusmodi obseruatione præcepti maculetur in aliquo, & ne fratrum conscientiæ aliquibus aculeis stimulentur, articulum istum propter detrahentium morsus profundiùs, quàm nostri prædecessores fecerint assumentes, ac ipsum clarioribus determinationibus prosequentes; dicimus in primis, quod fratres ipsi à mutuis contrahendis abstineant, cùm eis mutuum contrahere (ipsorum statu considerato) non liceat. Possint tamen ipsi pro satisfactione facienda, pro eorum necessitatibus quæ pro tempore occurrerint (cessantibus eleëmosynis, de quibus satisfieri commodè tunc non posset) citra cuiuslibet obligationis vinculum dicere, quòd per eleëmosynas, & alios amicos fratrum, ad solutionem huiusmodi faciendam intendant fideliter laborare. Quo casu procuretur à fratribus, quòd ille qui dabit eleëmosynam, per se, vel per alium non nominandum ab ipsis, si fieri poterit, sed ab eo potiùs juxta suum beneplacitum assumendum, huiusmodi satisfactionem faciat in totum vel in partem, prout Dominus sibi inspirabit.

Si tamen ipse hoc nollet facere, vel non pos-

posset, vel quia recessus eius immineat, aut quia quibus velit committere, notitiam non habeat fidelium personarum, seu quacumque alia occasione vel causa: declaramus & dicimus, quòd in nullo Regulæ puritas infringitur, aut quomodolibet ipsius obseruantia maculatur, si fratres ipsi alicuius vel aliquorum sibi curent dare notitiam vel aliquos seu aliquem nominare, aut etiam presentare cui vel quibus eleëmosynam facienti placuerit, committi possit executio prædictorum, ac ipsius habeatur assensus & super subrogationibus infrà scriptis. Ita tamen quòd penes ipsum dantem dominio, proprietate ac possessione ipsius pecuniæ, cum libera potestate reuocandi, sibi pecuniam ipsam semper usque ad conuersionem ipsius in rem deputatam, plenè liberè ac integrè remanentibus in ipsa pecunia, nihil omnino fratres juris habeant, nec administrationem seu dispensationem, nec contra personam nominatam vel non nominatam ab eis, cuiuscumque conditionis existat, in judicio vel extra, actionem, prosecutionem, aut aliquod jus, qualitercumque persona prædicta in commissione huiusmodi se habeat. Liceat tamen fratribus suas necessitates in-

si-

ſinuare ac ſpecificare, vel exponere perſonæ prædictæ, ac eam rogare quòd ſoluat. Poſſunt etiam perſonam eandem exhortari ac inducere, quòd fideliter in re commiſſa ſe habeat, & animæ ſuæ ſaluti in commiſſa ſibi executione prouideat. Ita tamen quòd ab omni eiuſdem pecuniæ adminiſtratione ſeu diſpenſatione,& contra prædictam perſonam actione ſeu proſecutione ( ut prædictum eſt ) fratres abſtineant omnimode.

Si verò perſonam huiuſmodi nominatam vel non nominatam à fratribus, ( quò minus per ſe poſſet exequi quod prædicitur) contigerit per abſentiam, infirmitatem, voluntatem, ſeu locorum diſtantiam, ad quæ ipſe nollet accedere; in quibus eſt ſolutio ſeu ſatisfactio facienda, vel per occaſionem aliquam impediri: liceat fratribus cum conſcientiæ puritate, quantum ad unam aliam perſonam ſubrogandam ad præmiſſa in nominando & aliis ( ſi ad primum dantem non poſſint vel nolint habere recurſum ) cum iſta perſona facere, ſicut ſupra declarauimus eis licere cum prima. Duarum enim perſonarum miniſterium per viam ſubrogationis ( ut prædictum eſt ) communius & generalius videtur poſſe in prædictorum ex-

ecutione sufficere, cum prædicta satisfactione præsumatur posse celeriter expediri. Si tamen interdum propter locorum distantiam, in quibus satisfactio facienda, & conditiones seu circumstantias alias casus emergeret, in quo videretur plurium personarum subrogandarum ministerium opportunum: liceat ipsis fratribus in hoc casu juxta negotii qualitatem (seruato modo prædicto) plures personas assumere, nominare, seu præsentare ad illud ministerium exequendum.

*Pro necessitatibus futuris.*

Et quia oportet & expedit fratrum necessitatibus, non solum illis pro quibus jam esset solutio seu satisfactio facienda (ut supra proximè dictum est) sed etiam imminentibus, siue tales necessitates ingruentes immineant, quæ breui tempore expediri valeant, siue tales, licet paucæ comparatiuè, quarum prouisio ex sui conditione necessario tractum temporis habet, ut in libris scribendis, Ecclesiis, seu ædificiis ad usum habitationis ipsorum construendis, libris, & pannis in locis remotis emendis, & aliis similibus, si quæ occurrerint, cum moderanime supradicto, salubriter prouideri: sicut

cut in istis necessitatibus clare distinguimus, sic in aliis fratres posse tutè & salua conscientia procedere declaramus: videlicet ut ingruenti vel imminenti necessitate quæ breui tempore, vel quæ interdum ex aliquibus circumstantiis non sic breui (ut suprà *in* proximo casu dictum est) valeat expediri, tam quoad dantem eleëmosynam, quàm quoad nominatum vel substitutum in omnibus & per omnia (sicut in articulo solutionis pro necessitatibus præteritis faciendæ suprà proximè declarauimus) procedatur.

In ea verò necessitate quantumcumque præsentialiter ingruenti, quæ tamen ex qualitate sui, ut prædicitur, tractum temporis habet annexum; quia in eo casu verisimile est quod tam ratione distantiæ locorum quàm expeditio necessitatis ipsius ex sui conditione requiret; tum etiam circumstantiarum ipsius necessitatis ratione pensata; frequenter casus acciderent, in quibus ad expeditionem necessitatis huiusmodi opporteret, quod per diuersas manus & personas transiret pecunia, necessitati huiusmodi deputata, quarum omnium personarum impossibile quasi esset dominium principalem pro ipsa necessitate pecuniam deputan-

tantem, seu etiam substitutum ab eo & tertium etiam ab ipso substituto (si casus talis accideret) postea subrogatum habere notitiam: declaramus & dicimus, quod in hoc articulo præter dictos duos modos in necessitatibus præteritis & ingruentibus, quæ possint breui tempore, vel interdum non breui (ut suprà exprimitur) expediri (ut prædiximus) obseruandos, ad obseruandam ipsius Regulæ ac professorum ejus omnimodam puritatem: quod si præsto sit eleëmosynæ huiusmodi elargitor, vel eius nuntius, qui possit hoc facere, & velit, expresse prædicatur illi à fratribus quod sibi placeat, ut dominio talis pecuniæ cum libera potestate reuocandi sibi pecuniam ipsam penes ipsum semper usque ad conuersionem ipsius in rem deputatam liberè remanente (ut in aliis duobus casibus superius dictum est) per quorumcumque manus pecunia seu eleëmosyna ipsa tractetur, siue per personas ab eo vel à fratribus nominatas: totum suo consensu, voluntate, ac auctoritate procedat. Quo assensum suum præbente prædictis, securè fratres re empta vel aquisita de illa pecunia per quemcumque (juxta modum annotatum superius) uti possint.

Ad

Ad majorem autem prædictorum omnium claritatem hac in perpetuum valitura provisionis serie declaramus, quod fratres præfatis modis (ut prædicimus) circa pecuniam in supportandis eorum præteritis & ingruentibus necessitatibus obseruatis, non intelligantur, nec dici possint per se vel per interpositam personam pecuniam recipere contra regulam & professionis sui Ordinis puritatem: cum manifestè pateat ex præmissis, ipsos fratres non solùm à receptione, proprietate, dominio, siue usu ipsius pecuniæ, verum etiam à contrectatione qualibet ipsius, & ab ea penitus alienos esse.

*Quid faciendum si dator eleemosynæ moriatur.*

In eo verò casu, quando, antequam ipsa pecunia in licitum rei habendæ vel utendæ commercium sit conuersa, concedentem pecuniam mori contigerit: si concedens in concedendo dixerit vel expresserit, quòd persona deputata pecuniam ipsam in necessariam usum fratrum expenderet: quidquid de ipso concedente viuendo vel moriendo contingeret, siue concedens huiusmodi hæredem reliquerit, siue non possint fratres ad personam deputatam

(non

( non obſtante concedentis morte, vel hæredis contradictione ) pro ipſa pecunia expendenda recurrere ſicut poterant ad ipſum dominium concedentem.

*Quid agendum de pecunia quæ ſupereſt, habita neceſſitate determinata.*

Quia verò puritatem, ipſius Ordinis intima cordis affectione zelamus, cum in prædictis caſibus ad determinatam neceſſitatem ( ut prædicitur ) per aliquem pecuniam concedi contigerit, concedens pecuniam rogari poſſit à fratribus, quod ſi quid de pecunia ipſa ( habita neceſſitate determinata ) ſupererit, conſentiat ipſe concedens, quòd reſiduum præfatæ pecuniæ in res alias pro aliis ipſorum fratrum prædictis neceſſitatibus conuertatur. Quo non conſentiente prædictis; ipſum reſiduum ( ſi quid fuerit ) reſtituatur eidem. Caueant tamen fratres, quòd ſolicitè ſe coaptent, ut non plus ſcienter concedi conſentiant, quam veriſimiliter æſtimari poſſit, rem neceſſariam, pro qua pecunia ipſa conceditur, valituram.

Et quia in prædictorum ſerioſa expoſitione, à dante vel recipiente, de facili poſſit errari; ut clarius utilitati dantium, puritati Ordinis, ſimplicitati aliquorum ſimplicium,

ciium, saluti animarum, hinc inde securiùs consulatur: intellectum illum qui satis in hoc casu à sanè intelligente percipitur, præsentis & in æternum valituræ constitutionis serie lucidamus; volentes illum ad communem deduci notitiam: videlicet quòd semper quando pecunia fratribus ipsis mittitur vel offertur (nisi expressè per mittentem vel offerentem aliud exprimatur) prædictis modis prorsus oblata intelligatur & missa. Non enim verisimile est aliquem eleëmosynæ suæ sine expressione modum illum velle præfigere, per quem & donans merito, vel illi quorum necessitatibus intendit per donum huiusmodi prouidere vel effectu doni, vel suæ conscientiæ puritate fraudentur.

## V. ARTICULUS.

### *De his quæ relinquuntur fratribus testamento.*

AD hæc quia fratribus ipsis interdum in ultimis voluntatibus sub diuersis modis nonnulla legantur, nec expresse, quid de his agendum sit in Regula, vel prædecessorum nostrorum declarationibus continetur: ne in ipsis dubitari contingat in poste-

ſterum prouidendo legantibus, & fratrum conſcientiis præcauendo, declaramus, ordinamus, & dicimus: quod ſi Teſtator modum ſecundum quem fratribus (eorum conditione inſpecta) recipere non liceret, exprimat in legando; ut ſi legaret fratribus vineam vel agrum ad excolendum, domum ad locandum; vel ſimilia verba in ſimilibus proferret; aut modos ſimiles in relinquendo ſeruaret: à tali legato & eius receptione per omnem modum fratres abſtineant.

Si verò modum licitum fratribus in legando Teſtator expreſſerit, ut ſi diceret: Lego pecuniam pro fratrum neceſſitatibus expendendam, vel domum, agrum, vineam, & ſimilia, ad hoc quod per certam perſonam vel perſonas idoneas diſtrahantur, & pecunia de rebus ipſis accepta, in ædificia vel alia fratrum neceſſaria conuertatur, aut in legando ſimilibus modis vel verbis utatur: in hoc caſu illud in omnibus & per omnia (conſideratis eorum neceſſitatibus & moderaminibus ſupradictis) quantum ad fratres ſeruari decernimus, quod per nos ſuperius eſt in conceſſis pecuniariis eleëmoſynis declaratum.

Ad

Ad quæ legata ſoluenda tam hæredes Teſtatorum, quàm executores ſe liberales exhibeant, & etiam Prælati & ſæculares, quibus de jure & conſuetudine prouiſio iſta competeret (cum expedierit) ſe officio ſuo promptos exhibeant ad pias voluntates decedentium adimplendas. Nam & nos etiam per modos licitos & fratrum Regulæ congruos intendimus prouidere; quòd hæredum cupiditas legitimis ictibus feriatur, ne pia defunctorum deſtituatur intentio, ac ipſi fratres pauperes opportunis auxiliis fraudentur.

*De legatis indifferenter relictis.*

Si veró fratribus ipſis generaliter aliquid abſque modi expreſſione legetur, in hoc legato ſic indeterminatè relicto, in omnibus & per omnia intelligi ac ſeruari volumus, & in perpetuum præſenti conſtitutione jubemus; quod ſuprà in pecuniaria eleëmoſyna fratribus indeterminate oblata vel miſſa voluimus ac expreſſimus obſeruari: videlicet ut ſub modo licito fratribus intelligatur eſſe relictum. Ita quod nec legans merito: nec fratres ipſi effectu relicti fraudentur.

VI.

# VI. ARTICULUS.

*De commutatione rerum mobilium.*

QUia verò libros & alia mobilia quibus tam Ordo quàm fratres utuntur quorum dominium (cum non ſint dominii aliorum) ad præfatam Eccleſiam ſpecialiter ſpectare dignoſcitur, interdum contingit ſeu expedit vendi, vel etiam commutari: fratrum utilitatibus & eorum conſcientiis prouidere volentes, eadem auctoritate concedimus, ut commutatio talium rerum, & ad eas res quarum uſum fratribus licet habere, de generalium & prouincialium Miniſtrorum in ſuis adminiſtrationibus conjunctim & diuiſim auctoritate procedat. Quibus etiam de diſpoſitione uſus talium rerum concedimus ordinare.

Si verò res huiuſmodi æſtimato pretio vendi contingat; cùm fratribus ipſis per ſe, vel per alium recipere pecuniam (Regula prohibente) non liceat; ordinamus & volumus, quòd talis pecunia vel pretium recipiatur & expendatur in rem licitam, cuius uſum fratribus licet habere per procuratorem à præfata Sede, vel à Cardinali gubernationem per ipſam Sedem gerente eiuſdem

Or-

Ordinis deputandum, juxta modum in superioribus necessitatibus præteritis ordinatum.

*De largitione vilium.*

De vilibus autem, mobilibus vel parum valentibus, liceat ex præsenti constitutione fratribus pietatis seu deuotionis intuitu, vel pro alia honesta & rationabili causa (obtenta super hoc priùs Superiorum suorum licentia) juxta quod inter fratres in generali vel in prouincialibus Capitulis, tam de ipsis rebus vilibus seu parum valentibus, & earum valore, quàm præfata licentia, scilic. à quibus & qualiter sit habenda, extiterit ordinatum, intra & extra Ordinem aliis elargiri.

## VII. ARTICULUS.

*De vestibus fratrum.*

LIcet autem contineatur in Regula quod fratres habeant unam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, & videri possit illa fuisse instituentis intentio, quòd necessitate cessante, pluribus non utantur: declaramus quòd possint fratres de licentia Ministrorum, & Custodum conjunctim & diuisim in administrationibus sibi commis-

ſis, cùm eis videbitur ( penſatis neceſſitatibus, & aliis circumſtantiis, quæ ſecundum Deum & Regulam attendendæ videntur ) uti pluribus, nec per hoc videantur à REGULA deuiare, cum etiam in ipſa dicatur expreſsè quod Miniſtri & Cuſtodes de infirmorum neceſſitatibus & fratribus induendis, ſolicitam curam gerant ſecundum loca & tempora, & frigidas regiones.

Et quamquam prædicta Regula contineat, quod de fratribus induendis, & neceſſitatibus infirmorum Miniſtri tantùm & Cuſtodes ſolicitam curam gerant, & dictio illa ( tantùm ) ſic Miniſtros & Cuſtodes in hac cura perſtringere videatur, quod ab ea cæteros prima facie excludere videatur: quia tamen ſolicitè conſiderare nos conuenit, & tempus Regulæ inſtitutæ, quo fratres ipſi ad comparationem præſentem numero pauci erant, & forſan Miniſtri & Cuſtodes videbantur tunc ad iſta procuranda poſſe ſufficere, ac nihilominus multiplicationis fratrum, & moderni temporis qualitatem; nec ſit veriſimile Franciſcum inſtitutorem Regulæ, vel ipſis Miniſtris & Cuſtodibus impoſſibilitatis jugum voluiſſe præfigere, vel ex ipſius impoſſibilitatis conſequentia Fratres

ipſos

ipſos ſuis neceſſitatibus velle carere: concedimus quod ipſi Miniſtri & Cuſtodes poſſint per alios huiuſmodi curæ ſolicitudinem exercere. Debent etiam & alii fratres curam huiuſmodi, quæ præfatis Miniſtris & Cuſtodibus præcipuè incumbit ex Regula, cum ſibi ab illis commiſſa fuerit gerere diligenter.

## VIII. ARTICULUS.

### *De modo laborandi.*

CОntinetur quoque in Regula, quòd fratres, quibus gratiam dedit Dominus laborandi' laborent fideliter & deuotè; ita quod excluſo ocio animæ inimico, ſanctæ orationis & deuotionis ſpiritum non extinguant. Quia verò ex verbo iſto fratres ipſos de otioſitate vitæ, & de Regulæ tranſgreſſione, improbè notare interdum hactenus aliqui ſunt conati: nos morſus huiuſmodi nefarios reprimentes declaramus quòd conſideratis verbis prædictis, & forma ſeu modo loquendi, ſub quibus fratres ad huiuſmodi exercitium inducuntur, non videtur ea fuiſſe inſtituentis intentio, quòd vacantes ſtudio vel diuinis officiis & miniſteriis exequendis manuali labori ſeu operationi ſub-

jiceret, vel ad hoc illos arctaret, cùm exemplo Christi & multorum sanctorum Patrum, labor iste spiritualis tantò illi præponderet, quantò quæ sunt animæ, corporalibus præferuntur. Ad alios verò qui se in prædictis spiritualibus operibus non exercent, nisi tales aliorum fratrum licitis seruitiis occupentur, ne otiosè viuant, verba prædicta declaramus extendi: nisi & tales tam excellentis & notabilis contemplationis & orationis existerent, quòd merito propter hoc non essent à tanto bono pro huiusmodi exercitiò subtrahendi. Fratres enim quantumcumque studio vel diuinis ministeriis non vacantes, sed aliorum fratrum studio vel aliis diuinis officiis & ministeriis vacantium seruitiis inhærentes cum ipsis quibus seruiunt sustentari merentur: quod adstruitur illa æqua lege sancitum, qua strenuus pugnator ille Dauid justè decreuit, 1. Reg. 30. videlicet, quod descendentium ad prælium, & remanentium ad sarcinas, portio æquaretur.

## IX. ARTICULUS.

### *De Prædicatoribus.*

VErum quia expressè continetur in Regula, quod fratres non prædicent in Epi-

Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum: nos in hoc, & deferentes Regulæ, & nihilominus auctoritatem Apostolicæ plenitudinis conseruantes, dicimus quod prædictum verbum ad literam, sicut Regula ipsa protulit, obseruetur, nisi per Sedem Apostolicam circa hoc pro utilitate populi Christiani sit concessum vel ordinatum aliud; vel in posterum concedatur seu etiam ordinetur.

Et quia in eodem capitulo Regulæ immediatè subjungitur, quod nullus fratrum populo penitus audeat prædicare nisi à Ministro Generali fuerit examinatus & approbatus, ac ab eo prædicationis officium sibi concessum: nos & statum præteritum ipsius Ordinis in paucitate sui, & modernum in ampliato fratrum numero ac utilitate animarum (ut condecet) aduertentes, concedimus quòd nedum Generalis examinare & approbare fratres prædicaturos in populis, ac illis concedere licentiam prædicandi, quatenus personæ idoneitatem, & prædicationis officium licentia ipsa respiceret, prout in Regula continetur; verum etiam Prouinciales Ministri hoc possint in capitulis prouincialibus cum definitoribus. Quod etiam hodie ab-

obseruari dicitur, & in fratrum priuilegiis contineri. Quam quidem licentiam præfati Ministri reuocare ac suspendere valeant & arctare, sicut & quando id eis videbitur expedire.

## X. ARTICULUS.

*De modo recipiendi fratres ad Ordinem.*

SEd quoniam in desideriis nostris hoc geritur, ut ad Dei gloriam salus proficiat animarum, ac dictus Ordo per quem jugiter ad amorem diuinum affectio Christianæ religionis accenditur, merito & numero augeatur: concedimus & præsenti statuto firmamus, licere non solum Generali sed etiam Prouincialibus Ministris, personas fugientes à sæculo in fratres recipere, quæ Ministrorum Prouincialium licentia per ipsum Generalem (sicut expedire viderit) possit arctari. Vicarii vero Prouincialium Ministrorum ex officio vicariæ licentiam hanc sibi noverint interdictam: nisi per Ministros eosdem (quibus hoc posse committere Vicariis, & aliis licere decernimus) hoc ipsis Vicariis specialiter committatur. Caueant tamen ipsi Prouinciales, quod hoc non indiscretè, non passim, sed sic consideratè committant, sicque illos quibus hoc committi contigerit, fide-

fidelibus consiliis fulciant, quòd omnia discretè procedant.

Nec indifferenter omnes admittantur ad Ordinem, sed illi tantùm, qui suffragantibus eis literatura, idoneitate, vel aliis circumstantiis, possint utiles esse Ordini, sibique per vitæ meritum, ac aliis proficere per exemplum.

## IX. ARTICULUS.

*De mittendo Custode custodum ad Capitulum Generale.*

INsuper dubitantibus fratribus prædicti Ordinis, an pro eo quod in Regula dicitur, ut decedente Generali Ministro à Prouincialibus Ministris & Custodibus in Capitulo Pentecostes fiat electio Successoris; omnium Custodum multitudinem oporteat ad Generale Capitulum conuenire, aut ut omnia cum majori tranquilitate tractentur sufficere possit ut aliqui de singulis prouinciis, qui vocem habeant aliorum, intersint: taliter respondemus, ut scilicet singularum prouinciarum custodes unum ex se constituant, quem cum suo prouinciali Ministro pro seipsis ad Capitulum dirigant, voces ac vices suas committentes eidem, quod etiam cum constituerint per seipsos, statutum hu-

huiusmodi duximus approbandum. Quod idem prædecessor Gregorius IX. in casu huiusmodi dicitur respondisse.

## XII. ARTICULUS.

*De Ingressu & accessu ad monasteria Monialium.*

DEnique quia continetur in Regula supradicta, quòd fratres non ingrediantur monasteria monacharum, præter illos quibus à Sede Apostolica concessa fuerit licentia specialis; quamquam hoc de monasteriis pauperum monialium inclusarum fratres hactenus intelligendum esse crediderint, cùm earum Sedes præfata curam habeat specialem; & intellectus huiusmodi per Constitutionem quandam tempore datæ Regulæ, viuente adhuc beato Francisco, per Prouinciales Ministros fuisse credatur in generali Capitulo declaratus: iidem fratres certificari nihilominus postulauerunt, an hoc de omnibus generaliter; cum Regula nullum excipiat; an de illis solùm monasteriis monialium prædictarum debeat intelligi. Nos itaque generaliter id esse prohibitum de quarumlibet cœnobiis monialium respondemus. Et nomine monasterii volumus claustrum, domos, officinas interiores intelligi; pro eo quod ad alia loca, vbi homi-

mi-

mines sæculares conueniunt, possint fratres illi causa prædicationis vel eleemosynæ petendæ ccedere, quibus id à Superioribus suis pro sua fuerit maturitate vel idoneitate concessum, exceptis semper prædictarum monasteriis inclusarum, ad quæ nulli datur accendendi facultas, sine Sedis eiusdem licentia speciali. Quod etiam ipsum idem prædecessor noster Greg. IX. in eo casu dicitur respondisse.

## XIII. ARTICULUS.

### *An ad Testamentum B. P. N. Francisci fratres obligentur.*

CEterum sanctæ memoriæ Confessor Christi Franciscus fratribus mandasse dicitur, circa vltimum vitæ suæ (cuius mandatum ipsius dicitur Testamentum) quod verba ipsius Regulæ non glossentur, & (ut verbis utamur eiusdem) quod sic vel sic intelligi dedebeant, non dicatur; adiiciens quòd fratres nullo modo literas aliquas ab Apostolica Sede petant; & alia quædam interserens, quæ non possent sine multa difficultate seruari. Propter quod fratres hæsitantes an tenerentur ad obseruantiam Testamenti prædicti, dubitationem huiusmodi per eundem prædecessorem nostrum Gregorium IX. petierunt de ipsorum conscientiis amoveri qui (si-

cut asseritur ) attendens periculum animarum, & difficultates quas propter hoc possent incurrere, dubietatem de eorum conscientiis amouendo, dixit, fratres ipsos ad ipsius mandati obseruantiam non teneri: quod sine consensu fratrum, & maximè Ministrorum, quos uniuersos tangebat, obligare nequiuit, nec successorem suum quomodolibet obligauit; cum non habeat imperium par in parem. Nos autem circa præsentem articulum nihil duximus innouandum.

## XIV. ARTICULUS.

*Hæc declaratio tantum seruanda in iis quæ habet communia cum declarationibus summorum Pontificum præcedentium*

AD hæc a nonnullis prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus circa declarationem ipsius Regulæ, & ipsam Regulam contingentia, diuersas literas intelleximus emanasse, sed nec per hoc mordacium prædictorum contra Regulam ipsam & fratres quieuit insultus, nec per ipsas literas statui fratrum prouidetur in multis in quibus de nouo vel aliter necessario prouidendum esse, multorum postea casuum contingentium experientia indicauit. Nos itaque ne literarum huiusmodi & præsentis constitutionis diuersi-

ſitas vel intellectus aduerſitas in prædictorum obſeruatione fratrum animos perturbaret, & ut pleniùs, clariùs, & certiùs eorum ſtatui obſeruantiæ prædictæ Regulæ conſulatur, in omnibus & ſingulis illis articulis, quos conſtitutio ipſa continet, quamquam ipſi vel eorum aliqui contineantur in aliis literis Apoſtolicis ſupradictis: hanc noſtram conſtitutionem ſeu ordinationem tantùm à fratribus ipſis præcisè ac inuiolabiliter decernimus perpetuis temporibus obſeruandam.

## XV. ARTICULUS.

*De huius declarationis firmitate, auctoritate, ac publicatione.*

CUm igitur ex prædictis & aliis per nos cum multa maturitate diſcuſſis, Regula ipſa licita, ſancta, perfecta, & obſeruabilis, nec ulli patens diſcrimini euidenter appareat: illam & omnia ſupra ſcripta per nos ſtatuta, ordinata, conceſſa, diſpoſita, decreta, declarata etiam & ſuppleta, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine approbamus, confirmamus, & volumus exiſtere perpetuæ firmitatis: in virtute Obedientiæ diſtrictè præcipientes, quod hæc conſtitutio ſicut cæteræ conſtitutiones vel decretales epiſtolæ, legatur in ſcholis.

Et

Et quia ſub colore liciti nonnulli contra fratres ipſos & Regulam in legendo, exponendo atque gloſſando, poſſent virus ſuæ iniquitatis infundere, ac ipſius conſtitutionis ſenſum in diuerſas & aduerſas ſententias producentes, ſuis adinuentionibus deprauare, & opinionum diuerſitas, ac diſtorſio intellectus, multorum pios animos poſſet inuoluere, & à religionis ingreſſu multorum corda ſubtrahere: talium detrahentium vitanda peruerſitas cogit nos viam ipſis ad prædicta præcludere, & certum procedendi modum hanc Conſtitutionem legentibus præfinire. Itaque ſub pœna excomunicationis & priuationis officii ac beneficii, diſtinctè præcipimus, ut præſens Conſtitutio cùm ipſam legi contigerit, ſicut prolata eſt, ſic fideliter exponatur ad literam, concordantiæ, contrarietates, ſeu diuerſæ vel aduerſæ opiniones, a lectoribus ſeu expoſitoribus nullatenus inducantur. Supra ipſa Conſtitutione gloſſæ non fiant, niſi forſan per quas verbum vel verbi ſenſus ſeu conſtructio, vel ipſa Conſtitutio, quaſi grammaticaliter ad literam vel intelligibilius exponatur, nec intellectus ipſius per legentem deprauetur in aliquo, ſeu diſtorqueatur ad aliud, quàm litera ipſa ſonat.

Et

Et ne Sedem prædictam contra detractores huiusmodi oporteat ulterius laborare: uniuersis & singulis, cuiuscumque præeminentiæ, conditionis, aut status, districtè præcipimus, ne contra prædictam Regulam & statum fratrum prædictorum, seu contra præmissa per nos statuta, ordinata, concessa, dispositta, decreta, declarata, suppleta, approbata, & etiam confirmata dogmatizent, scribant, determinent, seu prauè loquantur plublice vel occulte: sed si quid penes aliquem in his ambiguitatis emerserit, ad culmen prædictæ Sedis Apostolicæ deducatur: ut ex auctoritate Apostolica, sua in hoc manifestetur intentio; cui soli concessum est, in his statuta condere, & condita declarare.

Glossantes verò in scriptis constitutionem ipsam aliter quam eo modo quem diximus doctores insuper & lectores dum docent in publico, ex certa scientia & deliberatè intellectum constitutionis huiusmodi deprauantes, faciente quoque commentum, scripturas, seu libellos ac ex certa scientia & deliberate determinantes in scholis seu prædicantes contra prædicta, vel aliqua seu aliquid prædictorum (non obstantibus aliquibus

bus Priuilegiis vel Indulgentiis, aut literis Apostolicis, quibuscumque dignitatibus, personis, ordinibus, aut locis, religiosis vel sæcularibus, generaliter vel singulariter sub quacumque forma vel expresione verborum concessis quæ nolumus aliquibus in præmissis quomodolibet suffragari) Excommunicationis sententiæ, quam nunc in ipsos proferimus, se nouerint subjacere: à qua per neminem, nisi per Romanum Pontificem, possint absolui. Insuper tam istos contra quos per nos excommunicationis prolata est sent entia, quàm alios (si qui fuerint) contra præmissa, vel eorum aliquid venientes ad Sedis memoratæ volumus deduci notitiam: ut quos prouisus modus æquitatis non arcet à vetitis compescat rigor Apostolicæ ultionis.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ declarationis, ordinationis, concessionis, & dispositionis, suppletionis, approbationis, confirmationis & constitutionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit; indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

*Datum Suriani. 18. Calendas Sept. Pontificatus nostri anno secundo.* IN

# Incipit Declaratio Regulæ Fratrum Minorum, edita à D. Papa Clemente V.

*Clemens Episcopus Seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

EXivi de Paradiso, dixi, rigabo hortum plantationum, ait ille cœlestis Agricola. Qui verè fons sapientiæ, Verbum Dei à Patre, in Patre manens, genitum ab æterno nouissime diebus istis, frabricante Spiritu S. inutero Virginis, caro factum, exiit homo ad opus arduum redemptionis humani generis peragendum, exemplar sequendum cælestis vitæ, præbens hominibus semetipsum.

Verum quia plerumque mortalis vitæ solicitudinibus pressus homo, mentis aspectum ab exemplaris huiusmodi intuitu diuertebat, verus noster Salomon in solo militantis Ecclesiæ hortum voluptatis inter cæteros quendam fecit, á procellosis mundi fluctibus elongatum, in quo quietiùs ac securius vacaretur contemplandis obseruandisque huiusmodi operibus exemplaris. In hunc intrauit ipse, ut rigaret ipsum fœcundis aquis spiritua-

tualis gratiæ & doctrinæ. Hic hortus siquidem est fratrum Minorum sancta Religio, quæ muris regularis Obseruantiæ firmiter undique circumclusa intra se solo contenta Deo, adornatur abunde nouellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus Dei Filius, mortificantis pœnitentiæ myrrham metit cum aromatibus quæ suauitate mira uniuersis odorem attrahentis sanctimoniæ circumfundunt. Hæc est illa cœlestis vitæ forma & Regula, quam descripsit ille Confessor Christi eximius S. Franciscus, ac seruandum à suis filiis verbo docuit pariter & exemplo.

Quia verò dictæ sanctæ Regulæ professores ac æmulatores deuoti, ut alumni & veri filii tanti Patris, affectabant, sicut & feruenter affectant, ad purum & plenum, præmissam Regulam firmiter obseruare: attendentes quædam quæ dubium poterant adferre sensum, in ipsius REGULÆ serie contineri; pro ipsorum declaratione habenda recurrerunt prudenter olim ad apicem Apostolicæ dignitatis, ut certificati per ipsam, cuius pedibus etiam per ipsam Regulam sunt subjecti, possent Domino, pulsis cunctis dubiis, cum plena claritate conscientiæ deseruire.

uire. Horum autem piis ac iustis supplicationibus plures prædecessores nostri Romani Pontifices successiuè, sicut dignum erat, applicantes aures & animum, declarauerunt ea quæ dubia videbantur: ediderunt nonnulla, & aliqua concesserunt, sicut expedire videbant fratrum conscientiis, ac puræ obseruantiæ huius status.

Verùm quia plerumque ubi culpa non est, eam timere solent conscientiæ timoratæ, quæ in via Dei quodcumque deuium expauescunt; non sunt ad plenum ex dictis declarationibus dictorum omnium fratrum conscientiæ quietatæ, quin circa aliqua ad Regulam, ipsorumque statum pertinentia dubitationum in ipsis fluctus aliqui generentur, & oriantur, sicut ad aures nostras pluries, & de quampluribus in publicis, & priuatis consistoriis est perlatum. Quapropter per ipsos fratres nobis extitit humiliter supplicatum, quatenus prædictis dubiis quæ occurrunt, & quæ possunt occurrere in futurum, adhibere opportuna declarationis remedia, de benignitate Sedis Apostolicæ, curaremus.

Nos igitur cuius animus ab ætate tenera, pia deuotione efferbuit ad huiusmodi pro-

fessores Regulæ, & ad Ordinem ipsum totum, nunc autem ex communi cura pastoralis regiminis quam immeriti sustinemus, ad ipsos fouendos dulcius, & attentiùs gratiosis fauoribus prosequendos, tanto prouocamur ardentiùs, quantò frequentiùs intenta mente reuoluimus fructus uberes, quos ex eorum exemplari vita, & salutari doctrina, toti uniuersali Ecclesiæ continuè cernimus prouenire, tam pia supplicantium intentione commoti, ad peragendum diligenter quod petitur, studia nostra duximus conuertenda, ipsaque dubia per plures Archiepiscopos & Episcopos & in Theologia Magistros & alios literatos prouidos, & discretos, examinari fecimus diligenter.

*De obseruatione præceptorum ac consiliorum Euangelicorum.*

## CAP. I.

CUm igitur imprimis ex eo quod in dictæ Regulæ principio habetur Regula & vita Minorum fratrum hæc est scil. Domini nostri JESU Christi sanctum Evangelium observare, in obedientia vivendo, sine proprio, & in castitate: Item infra, Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper &

Re-

gulam obseruare: Item circa finem Regulæ, paupertatem & humilitatem, & sanctum Evangelium Domini nostri IESU Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus: fuit hæsitatum, An fratres eiusdem Ordinis ad omnia tam præcepta quam consilia Evangelij ex professione suæ Regulæ teneantur: quibusdam dicentibus quòd ad omnia, aliis autem asserentibus, quòd ad sola illa tria consilia videlicet viuere in obedientia, in castitate, & sine proprio, & ea quæ sub verbis obligatoriis ponuntur in Regula obligantur.

Nos circa hunc articulum Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, ipsumque articulum quo ad aliquid clariùs prosequentes, dictæ hæsitationi duximus respondendum: quod cum votum determinatum cuiuslibet habeat cadere sub certo: vouens Regulam non potest dici teneri ex vi voti huiusmodi ad ea consilia Evangelica quæ in Regula non ponuntur.

Et quidem B. Francisci conditoris Regulæ hæc probatut fuisse intentio, ex hoc quòd quædam Evangelica consilia in Regula posuit, aliis prætermissis. Si enim per illud verbum, Regula & vita Minorum fra-

trum hæc est, &c. intendisset eos ad omnia consilia Evangelica obligare, superfluè & nugatoriè quædam eorum, suppressis cæteris, in Regula expressisset.

Cum autem natura termini restrictiui hoc habeat, quod sic excludit ab ipso extranea, quod cuncta ad ipsum pertinentia includit: Declaramus & dicimus, quòd dicti fratres non solùm ad illa tria vota nudè & absolutè accepta ex professione suæ Regulæ obligantur, sed etiam tenentur ad ea omnia adimplenda, quæ sunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ Regula ipsa ponit. Nam si adhæc tria prædicta tantùm præcisè & nudè promittentes se seruare Regulam viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate: & non etiam ad omnia in contenta Regula, quæ hæc tria modificant, arctarentur: pro nihilo & vanè proferrentur hæc verba: Promitto semper hanc Regulam obseruare, ex quo ex his verbis nulla obligatio nasceretur.

Nec tamen putandum est, quod B. Franciscus professores huius Regulæ quantum ad omnia contenta in Regula, modificantia tria vota, seu ad alia in ipsa expressa, intenderit æqualiter esse obligatos: quin potius

tius apertè discernit, quod quoad quædam ipsorum ex vi voti transgressio est mortalis & quòad quædam alia non: Cum ad quædam ipsorum verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem, & quo ad alia, verbis aliis sit contentus.

*De iis quæ æquipollent præcepto.*

Item quia præter ea quæ expressè verbo præcepti ac exhortationis seu monitionis ponuntur in Regula; nonnulla, verbo imperatiui modi negatiuè vel affirmatiue apposito, inseruntur: hactenus extitit dubitatum, An teneantur ad ista, ut ad habentia vim præcepti. Et quia, ut intelleximus, non minuitur hoc dubium, sed augetur, ex eo quod felicis recordationis Nicolaus Papa III. prædecessor noster noscitur declarasse quod fratres ipsi ex professione suæ Regulæ sunt astricti ad ea consilia Evangelica quæ in ipsa Regula præceptoriè vel inhibitoriè seu sub verbis æquipollentibus exprimuntur, & nihilominus ad eorum omnium obseruantiam, quæ ipsis in eadem Regula sub verbis obligatoriis inducuntur: supplicauerunt prædicti fratres, ut ad eorum conscientias serenandas, declarare quæ horum

 cen-

censeri debeant præceptis æquipollentia ac obligatoria, dignaremur.

Nos itaque qui in sinceris horum conscientiis delectamur, attendentes quod in his quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graues remorsus conscientiæ consultè pars securior est tenenda: dicimus, quòd licet fratres non ad omnium quæ sub verbis imperatiui modi ponuntur in Regula, sicut ad præceptorum seu præceptis æquipollentium obseruantiam teneantur, expedit tamen fratribus ipsis ad obseruandam puritatem Regulæ, & rigorem, quoad ea, sicut ad æquipollentia præceptis se nouerint obligatos, quæ hic inferius annotantur.

Ut autem hæc quæ videri possunt æquipollentia præceptis ex vi verbi, vel saltem ratione materiæ de qua agitur, seu ex utroque, sub compendio habeantur: Declararamus, quod illud quod ponitur in Regula:

De non habendo plures tunicas quàm unam cum caputio & aliam sine caputio.

Item de non portandis calceamentis de non equitando extra casum necessitatis. Item

Quòd fratres vilibus induantur. Item

Quòd jeiunare à festo omnium Sanctorum

us-

usque ad Natalem Domini, & in Feriis Sextis teneantur. Item

Quòd Clerici faciant diuinum officium secundùm ordinem S. Romanæ Ecclesiæ.

Item quòd Ministri & Custodes pro necessitatibus infirmorum, & fratribus induendis, solicitam curam gerant. Item

Quòd si quis fratrum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei seruire. Item

Quòd fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi cùm ab eo illis fuerit contradictum. Item

Quòd nullus audeat prædicare populo, nisi à Generali Ministro, vel aliis, quibus secundum declarationem prædictam id competit, fuerit examinatus & approbatus, & ad hæc institutus. Item

Quòd fratres qui cognoscerent se non posse præmissam Regulam spiritualiter obseruare debeant & possint ad suos Ministros recurrere. Item

Quòd omnia quæ ponuntur in Regula ad formam habitus tam nouitiorum, quàm etiam professorum, nec non ad receptionis modum ac professionem spectantia, nisi recipientibus quo ad habitum nouitiorum, sicut dicit Regula secundùm Deum, aliter

videatur: Hæc inquam; omnia ſunt à fratribus tanquam obligatoria ſeruanda. Item:

Ordo communiter ſentit, tenet, & tenuit ab antiquo, quòd ubicunque ponitur in Regula hoc vocabulum (*teneantur*) obtinet vim præcepti, & obſeruari debet à fratribus ſicut tale.

*An liceat fratribus recipere aliquid de bonis ingredientium Ordinem.*

## CAP. II.

CEterum quia Chriſti Confeſſor prædictus agendorum ac ſeruandorum circa recipiendos ad Ordinem, Miniſtris & fratribus modum præbens, dixit in Regula, quòd caueant fratres, & eorum Miniſtri, ne ſint ſoliciti de rebus ſuis temporalibus, ut liberè faciant de eis, quidquid ipſis à Domino fuerit inſpiratum, licentiam tamen habeant ipſi Miniſtri mittendi eos ad aliquos DEUM timentes, ſi conſilium requiratur quorum conſilio ſua bona pauperibus erogentur. Dubitauerunt & dubitant multi fratrum, An liceat ipſis de bonis ingredientium quicquam recipere, ſi donetur. Et, ſi ad dandum perſonis & conuentibus poſſint eos inducere ſine culpa. Si etiam ad diſponen-

dum

dum de diſtributione rerum talium debeant ipſi Miniſtri ſeu fratres dare conſilium, ubi ad conſulendum alij quàm ex ipſis ad quos ingreſſuri mittantur, poſſint idonei inuentri.

Nos autem conſiderantes attentè, intendiſſe ſanctum Franciſcum ſuæ Regulæ profeſſores, quos fundauerat in maxima paupertate, ab affectu temporalium rerum ipſorum ingredientium, per dicta verba, ſpecialiter & totaliter elongare: ut quantum eſt ex parte fratrum, ipſorum receptio ad Ordinem ſancta puriſſima appareret, & ne aliquo modo oculum viderentur habere ad bona eorum temporalia, ſed ad ipſos tantùm diuino officio mancipandos: dicimus, omnino debere tam Miniſtros quàm fratres cæteros à dictis inductionibus ad ſibi dandum, & ſuaſionibus, nec non & à dandis circa diſtributionem conſiliis abſtinere, cùm pro hoc ad timentes Deum ſtatus alteriùs mitti debeat, non ad fratres: ut verè cunctis pateant eſſe tam ſalubris inſtituti paterni zelatores, ſtudioſi, ſeduli, & perfecti.

Cùm verò facere de rebus ſuis quod Dominus inſpirabit ipſa Regula ingredientibus liberum eſſe velit: non videtur quin liceat

eis recipere, consideratis scilicet eorum necessitatibus & moderaminibus declarationis jam dictæ si quid de bonis suis intrans, sicut & cæteris pauperibus per modum eleemosynæ, liberè velit dare. Cauere tamen in acceptione oblatorum talium decet fratres, ne ex receptorum quantitate notabili præsumi possit sinister oculus contra ipsos.

*De fratrum vestimentis, & eorum vilitate.*

## CAP. III.

PRæterea cum dicatur in Regula, quod illi qui jam promiserunt obedientiam habeant unam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio qui habere voluerint: Item quòd fratres omnes vestimentis vilibus induantur: nosque declarauimus prædicta verba æquipollere præceptis; volentes hæc determinari plenius dicimus, quantum ad numerum tunicarum, quòd pluribus eis uti non licet, nisi in necessitatibus quæ haberi possunt ex Regula, secundum quod hunc passum memoratus Prædecessor noster pleniùs declarauit.

Vilitatem autem vestium, tam habitus

quàm

quàm interiorum tunicarum, illam intelligi debere dicimus, quæ secundum consuetudinem vel conditionem patriæ debeat, quantum ad colorem panni, & pretium vilitas merito reputari. Non enim quoad regiones omnes potest determinatus unus modus in talibus assignari. Huiusmodi etiam vilitatis indicium Ministris & Custodibus seu Guardianis duximus committendum, eorum super hoc conscientias onerantes, ita tamen quòd seruent in vestibus vilitatem.

*De calceamentis.*

Quorum etiam Ministrorum, Custodum & Guardianorum judicio eodem modo relinquimus pro qua necessitate possint ipsi fratres calceamenta portare.

*De jeiuniis.*

Deinde cum duobus temporibus annotatis in Regula, scilicet à festo omnium Sanctorum usque ad NatiuitatemDomini, & maximè Quadragesimæ, in quibus jeiunare tenentur, inseratur in eadem Regula: aliis autem temporibus non teneantur, nisi Sexta Feria, jejunare: & ex hoc voluerint aliqui dicere, quòd dicti Ordinis fratres non teneantur nisi ex condecentia ad alia jeiunia, quàm ad ista: declaramus debere intel-

telligi, eos non teneri ad jeiunium aliis temporibus, præterquam in jeiuniis ab Ecclesia constitutis, non est enim verisimile, quod vel institutor Regulæ, vel etiam Confirmator absoluere ipsos intenderit à seruandis illis jeiuniis, ad quæ de communi statuto Ecclesiæ obligantur cæteri Christiani.

*De obseruatione præcepti non recipiendi pecuniam.*

## C A P. IV.

POrrò cùm dictus Sanctus volens fratres suos super omnia à denariis seu pecunia esse totaliter alienos, præcepit firmiter fratribus uniuersis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam: istumque articulum declarans idem prædecessor noster, casus & modos posuerit, quibus seruatis à fratribus, non possunt dici nec debent, per se vel per alium pecuniæ receptores contra Regulam vel sui Ordinis puritatem: dicimus fratres teneri cauere summoperè quòd pro aliis causis seu sub modis aliis quàm ponit dicti prædecessoris nostri declaratio, ad dantes pecunias siue deputatos nuncios non recurrant; ne, si secus ab ipsis attentatum

fue-

fuerit, transgressores præcepti & Regulæ meritò dici possint. Nam ubi aliquid alicui generaliter prohibetur quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum.

Quocirca quæstus omnis pecuniæ, ac oblationum pecuniarum receptio, in Ecclesiis, vel alibi, cippi seu trunci ordinati ad offerentium seu donantium pecunias reponendas, nec non quicumque recursus alius ad pecunias seu habentes ipsas, qui per declarationem prædictam non conceditur: hæc inquam omnia sunt eis simpliciter interdicta. Cum etiam recursus ad amicos spirituales expressè tantum in duobus casibus secundum Regulam concedatur, videlicet pro necessitatibus infirmorum, & fratribus induendis, idque piè & rationabiliter considerata necessitate vitæ humanæ ad alias necessitates fratrum pro tempore occurrentes, (cessantibus eleëmosynis) seu etiam ingruentes, sæpedictus Prædecessor duxerit extendendum: Attendant fratres præfati, quòd pro nullis causis aliis quàm prædictis vel similibus in via vel alibi recurrere liceat eis ad amicos huiusmodi, siue sint dantes pecunias, siue deputati per ipsos: siue nuntii vel depositarii, seu alio

quo-

quouis nomine appellentur, etiam si concessi per eandem declarationem modi circa pecuniam integrè seruarentur.

Denique cùm idem Confessor summè affectauerit suæ Regulæ professores totaliter esse abstractos ab effectu & desiderio terrenorum, & specialiter à pecunia & eius usu totaliter expertes, sicut probat prohibitio de recipienda pecunia, in Regula sæpius repetita; curare fratres vigilanter necesse est, quod cùm ex caussis prædictis & modis ad habentes pecunias deputatas pro ipsorum neoessitatibus recurrere oportebit: ad tenentes ipsas, quicunque hi fuerint, principales vel nuntii in omnibus sic se gerant, quod se cunctis ostendant in dictis pecuniis, sicut nec habent, penitus nil habere.

Quapropter præcipere quomodo & qualiter pecunia expendatur, computumque exigere de expensa, eam quomodocumque repetere siue deponere aut deponi facere, capsulam pecuniæ vel eius clauem deferre, hos actus & consimiles sibi fratres illicitos esse sciant. Prædicta enim facere, ad solos dominos pertinet, qui dederunt, & eos quos ipsi deputauerunt ad hoc ipsum.

De

*De expropriatione fratrum.*

## CAP. V.

PRoinde cùm vir Sanctus paupertatis præmissæ in Regula modum exprimens dixerit in eadem: Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleëmosyna confidenter; sicque declaratum extitit per nonnullos prædecessores nostros Romanos Pontifices, hanc expropriationem intelligi debere tam in speciali quam etiam in communi, propter quod & rerum omnium concessarum, oblatarum, & donatarum fratribus (quas & quarum usum, facti scilicet, Ordini, vel ipsis fratrib. licet habere) proprietatem & dominium in se & Romanam Ecclesiam receperunt, dimisso ipsis fratribus in eis tantummodo usu facti simplicis: Ad nostrum fuerunt deducta examen, quæ in Ordine fieri dicebantur & videbantur prædicto voto & puritati Ordinis repugnare, videlicet ut ea prosequamur ex ipsis quæ remedio credimus indigere.

Quòd se institui hæredes non solum sustinent, sed procurant. Item

Item quòd redditus annuos recipiunt interdum in tam notabili quantitate, quod conventus habentes totaliter inde vivant.

Iem quòd cùm ipsórum negotia etiam pro rebus temporalibus in curiis agitantur, assistunt Advocatis & Procuratoribus, & ad instigandum eosdem se ibidem personaliter repræsentant.

Item quòd executiones ultimarum voluntatum suscipiunt & gerunt, seque intromittunt quandoque de usurarum & malè oblatorum dispositionibus seu restitutionibus faciendis.

Item quod alicubi non solùm excessivos hortos, sed etiam vineas magnas habent: de quibus tam de oleribus, quàm de vino multum colligitur ad vendendum.

Item quòd temporibus messium & vindemiarum sic copiosè granum & vinum mendicando vel aliunde colliguntur à fratrib. & in cellariis ac granariis reconduntur; quòd per anni residuum & absque eorum mendicatione possunt transigere vitam suam.

Item quòd Ecclesias vel alia ædificia faciunt, vel procurant fieri in quantitate & curiositate figuræ & formæ ac sumptuositate,

no-

notabiliter excessiua, sic quod non videntur habitacula pauperum, sed magnatum.

Paramenta etiam Ecclesiastica in plerisque locis tam multa habent, & tam notabiliter pretiosa, quod excedunt in his magnas Ecclesias cathedrales.

Equos insuper & arma eis oblata in funeralibus recipiunt indistinctè.

Tamen communitas fratrum & specialiter Rectores ipsius Ordinis asserebant quod prædicta seu plura ex ipsis in Ordine non fiebant. Quod & si qui reperiuntur rei in talibus, rigidè puniuntur, nec non contra talia ne fiant, sunt facta pluries ab antiquo statuta in Ordine multum stricta.

*De hæreditatibus non acceptandis*

## CAP. VI.

CVpientes igitur nos ipsorum fratrum prouidere conscientiis, & cuncta dubia, quantum possibile nobis est, de ipsorum pectoribus remouere, ad prædicta modo qui sequitur, respondemus.

Cum enim ad veritatem vitæ pertineat, ut id quod exterius agitur interiorem mentis dispositionem & habitum repræsentet: necesse habent fratres, qui se expropriatione

tanta à temporalibus abstraxerunt, ab omni eo quod dictæ expropriationi esset vel possset videri contrarium, abstinere.

Quia igitur in successionibus transit non solum usus rei, sed & dominium suo tempore in hæredes: fratres autem præfati nihil sibi in speciali aquirere vel eorum Ordini possint etiam in communi; declarando dicimus, quod successionum hujusmodi quæ etiam indifferenter ex sui natura ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia & immobilia se extendunt (considerata sui puritate voti) nullatenus sunt capaces.

Nec licet eis valorem hereditatum talium, vel tantam earum partem quod præsumi posset hoc in fraudem fieri, quasi sub modo & forma Legati dimitti sibi facere, vel sic dimissa recipere quin potius ista sic fieri ab ipsis, simpliciter prohibemus.

*Redditum receptio prohibita.*

Cumque annui redditus inter immobilia censeantur à iure, ac hujusmodi redditus obtinere paupertati & mendicitati repugnet: nulla dubitatio est, quod prædictis fratribus, redditus quoscumque sicut & possessiones: vel etiam eorum usum, cum eis

non reperiatur concessus, recipere vel habere, conditione ipsorum considerata, non licet.

*De non assistendo in curiis aut litibus.*

## CAP. VII.

Amplius cùm non solùm quod malum esse dignoscitur, sed & omne quod speciem habet mali sit à viris perfectis specialiter evitandum; ex talibus autem assistentiis in Curiis & instigationibus, cum de rebus agitur in ipsorum commoda convertendis, creduntur verisimiliter, ex his quæ foris patent (de quibus habent homines judicare) in ipsis rebus fratres assistentes aliquid quærere tanquam suum: nullo modo debent hujusmodi voti & Regulæ, professores se talibus curis & litigiosis immiscere, ut & testimonium habeant ab his qui foris sunt, & puritati satisfaciant voti sui, & euitetur per hoc scandalum proximorum.

*Non acceptandæ Testamentorum Executiones.*

Verùm etiam cùm dicti Ordinis fratres non solùm a receptione, proprietate, dominio, siue usu, ipsius pecuniæ, verùm etiam

à contrectatione qualibet ipsius, & ab ea sint penitus alieni, quemadmodum sæpe dictus prædecessor noster in declaratione hujus Regulæ planè dixit; cumque; dicti Ordinis professores possint pro nulla re temporali in judicio experiri: prædictis fratribus non licet, nec competit: quin potiùs, considerata sui puritate status debent sibi scire interdictum, quod hujusmodi executionibus & dispositionibus se exponant; cùm hæc, ut sæpius, absque litigio & contrectatione vel administratione pecuniæ nequeant expediri. Verumtamen in his exequendis, dare consilium, ipsorum statui non obsistit; cùm ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla jurisdictio; sive actio in judicio sive dispensatio tribuatur.

*Non habendi aut acceptandi horti superflui.*

## CAP. VIII.

LIcet verò non solùm sit licitum, sed & multum conueniens rationi, quod fratres qui in laboribus spiritualibus orationis & studij sedulò occupantur, hortos & areas habeant competentes ad recollectionem vel recreationem sui, & interdum ad se ipsos

post

poſt labores huiuſmodi corporaliter deducendos, nec non ad habenda neceſſaria hortalitia pro ſe ipſis. Habere tamen hortos aliquos ut colantur, ac oleta ac alia hortalitia pretio diſtrahanrur, nec non & vineas, repugnat ſuæ Regulæ, & Ordinis puritati, Secundum, quód dictus prædeceſſor noſter declarauit, ac etiam ordinauit, quod ſi talia ad uſus proximé dictos, ut puta agrum vel vineam ad colendum, & conſimilia fratribus legarentur, per omnem modum fratres á receptione talium abſtinerent, cùm etiam præmiſſa habere, ut pretium fructuum ſuis temporibus habeatur ad naturam & formam prouentuum appropinquet.

*Non habenda granaria aut cellaria ſine euidenti neceſsitate.*

## CAP. IX.

RVrſus cum prædictus Sanctus tam exemplis vitæ, quám verbis Regulæ, oſtenderit, ſe velle quod fratres ſui & filij, diuinæ prouidentiæ innitentes, ſuos in Deum iacerent cogitatus, qui volucres cæli paſcit quæ non congregant in horrea, nec ſeminant nec metunt: non eſt veriſimile

voluisse ipsum eos habere granaria vel cellaria, ubi sine quotidianis mendicationibus deberent sperare posse transigere vitam suam.

Et idcirco non ex timore leui laxare se debent ad congregationes & obseruationes huiusmodi faciendas: sed tunc tantum, cúm esset multum credibile ex iam expertis, quod non possent vitæ necessaria aliter inuenire. Hoc autem Ministrorum & Custodum simul & separatim in suis administrationibus & custodiis (cum Guardiani, & duorum de conuentu Discretorum Sacerdotum, & antiquorum in Ordine fratrum consilio & assensu) duximus iudicio relinquendum: eorum super hoc specialiter conscientias onerantes.

*Non ædificanda aut admittenda ædificia sumptuosa.*

## C A P. X.

HInc est etiam quod cum vir sanctus fratres suos in paupertate summa & humilitate fundare voluerit, quoad affectum pariter & effectum, sicut feré tota Regula clamat: conuenit ipsis quod nullo modo

modo deinceps fieri faciant vel fieri sustineant Ecclesias vel alia quæcunque ædificia, quæ considerato fratrum inhabitantium numero excessiua in multitudine & magnitudine debeant reputari. Ideoque volumus quód ubique in suo Ordine, deinceps temperatis & humilibus ædificiis sint contenti, ne huic tantæ paupertati promissæ, quod patet oculis, contrarium foris clamet.

*Non habenda vasa aut paramenta ecclesiastica excessiua.*

Quamuis etiam paramenta & vasa ecclesiastica ad honorem diuini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus: tamen qui absconditorum est cognitor, ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum: nec per illa sibi vult seruiri, quæ suorum seruitorum conditioni & statui dissonarent. Quapropter sufficere debent eis vasa & paramenta ecclesiastica decentia, in numero & magnitudine sufficientia competenter. Superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quæcumque curiositas, in his seu aliis quibuscumque, non potest ipsorum professioni vel sta-

tui conuenire. Cùm enim hæc sapiant thesaurizationem seu copiam; paupertati tantæ, quoad humanum iudicium, derogant manifestè. Quapropter promissa seruari à fratribus volumus & mandamus.

*Quid agendum de equorum & similium oblationibus.*

Circa equorum verò & armorum oblationes, illud decernimus in omnibus & per omnia obseruandum, quod per declarationem prædictam in pecuniariis noscitur eleemosynis definitum.

*Ad quem usum arctum teneantur fratres ex Regula.*

## CAP. XI.

EX prædictis autem succreuit non parum scrupulosa quæstio inter fratres, videlicet. Vtrum ex suæ professione Regulæ obligentur ad arctum & tenuem siue pauperem usum rerum: quibusdam ex ipsis credentibus & dicentibus, quod sicut quoad dominium rerum habent ex voto abdicationem arctissimam, ita ipsis quoad usum arctitudo maxima & exilitas est in-

dicta

dicta; aliis in contrarium asserentibus, quod ex professione sua ad nullum usum pauperem, qui non exprimatur in Regula, obligentur: licet teneantur ad usum moderatum temperantiæ, sicut & magis ex condecenti quàm cæteri Christiani.

Volentes itaque conscientiarum prædictorum fratrum prouideri quieti, & his altercationibus finem dare: Declarando dicimus, quod fratres Minores ex professione suæ Regulæ specialiter obligantur ad arctos vsus seu pauperes, qui in ipsorum Regula continentur; & eo obligationis modo, sub quo continet seu ponit Regula dictos usus.

Dicere autem, sicut aliqui asserere perhibentur, quod hæreticum sit tenere, usum pauperem includi vel non includi sub voto Euangelicæ paupertatis præsumptuosum & temerarium indicamus.

*De electione & confirmatione Ministrorum Prouincialium.*

## CAP. XII.

DEmum quia ex eo quod dicta Regula, per quos & ubi fieri debeat Ministri Gene-

Generalis electio, tradens nullam fecit de Ministrorum Prouincialium electione vel institutione penitus mentionem; oriri super hoc poterat dubitatio inter fratres,

Nos volentes posse ipsos claré ac securé procedere in omnibus factis suis: Declaramus statuimus etiam & ordinamus: hac constitutione in perpetuum valitura, ut cum alicui prouinciæ de Ministro fuerit prouidendum, ipsius Ministri electio penes Capitulum Prouinciale resideat; quam idem Capitulum die sequenti qua fuerit congregatum, facere teneatur. Ipsius autem electionis confirmatio ad Ministrum pertineat Generalem.

Et si quidem ad electionem huiusmodì per formam scrutinij procedatur, & votis in diuersa diuisis electiones plures in discordia celebrari contingat: illa quæ á maiori parte Capituli numero (nulla zeli vel meriti collatione aut consideratione habita) fuerit celebrata, exceptione seu contradictione quacunque; alterius partis non obstante, per dictum Generalem Ministrum, de consilio Discretorum de Ordine (priús tamen ex officio prout spectat ad ipsum, diligenti examinatione præmissa) confirmetur

tur

tur vel etiam infirmetur, prout eis secundúm Deum uisum fuerit expedire. Et si fuerit infirmata ad Capitulum Prouinciale electio huiusmodi reuertatur. Cæterum si Capitulum memoratum die prædicta Ministrum eligere prætermittat, ex tunc Ministri Prouincialis Prouisio ad Generalem Ministrum liberé deuoluatur.

Verúm si Ministro prædicto & Capitulo generalibus, ex certa, manifesta, ac rationabili causa videretur aliquando in Prouinciis Vltramarinis Hyberniæ, Græciæ, seu Romaniæ (in quibus hactenus alius prouidendi modus dicitur ex causa certa & rationabili fuisse seruatus) expedire, Ministrum Prouincialem, per Ministrum Generalem cum proborum Ordinis consilio potiús quám per Capituli prædicti electionem præfici: in prouinciis Hyberniæ & Vltramarinis irrefragabiliter, in Romania veró vel Græcia quando Minister dictæ prouinciæ moreretur vel absolueretur citra mare, illa vice seruetur absque dolo, partialitate & fraude (super quo eorum conscientias oneramus) quod super hoc dictus Minister cum dictorum proborum consilio duxerit ordinandum.

In

In destitutione verò dictorum Ministrorum Prouincialium seruari volumus, quod super hoc hactenus de ipso Ordine extiterit obseruatum.

Cæterùm si contingeret eosdem Ministro Generali carere per Vicarium Ordinis fiat super hoc quod faciendum fuerit per eundem Ministrum; usquequo prouisum fuerit de Generali Ministro.

Porro si quid de huiusmodi Ministro Prouinciali secus attentari fortè contigerit, illud ipso facto sit irritum & inane.

Nulli igitur omnino hominum liceat, hanc paginam nostrarum declarationum dictorum, commissionis, responsionis, prohibitionis, ordinationis, mandati, constitutionum, iudicationum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

*Datum Viennæ, pridie nonas May, Pontificatus nostri anno septimo.*

PARS



# PARS SECUNDA.

Continens

Quæstiones aliquot circa ea quæ sunt Regulæ & status fratrum Minorum, tractatas á D. Bonauentura, partim in eius Apologetico, partim in ipsam Regulam S. Francisci.

Ex Apologet. *Quæstio prima.*

*Qui promouendi ad officium prædicandi, & audiendi sacras confessiones.*

QVÆ sunt necessaria illi qui ad prædicationis & confessionis officium est assumendus?

*Responsio.*

Vt ad hoc sit idoneus, præter habilitatem illam, quam confert gratia, quæ etiam est efficacior omnibus; quæ non in nostra potestate consistit, sed in beneplacito Dei,

Dei, singulis prout vult, dona sua diuidentis: ista considerare in promouendis solemus ad hæc officia.

Primò ut sit competentis ætatis, multum a trigesimo distans anno: quia quæ fiunt à pueris, puerilia reputantur. Secundò, ut non sit etiam facie & moribus puerilis. quia ista multum minuunt auctoritaten apud homines tam dictorum quàm factorum. Tertio, ut non sit valde notabiliter deformis in corpore, videlicet nimis brevis, vel crassus, vel gibbosus, vel aliter turpiter deformatus: ne per hoc eius prædicatio despectui & risui habeatur. Quarto, ut non sit etiam valde debilis corpore: cum ex hoc labores huius officij exequi viriliter non valeret.

Quintò, ut sit competentis facundiæ, ut possit ea quæ debet, proponere sine fastidio auditorum. Sextò, ut sit saltem in Grammatica & sacra Scriptura tam sufficienter instructus, ut sine errore vel confusione sciat coram populo & clero proponere veritatem, & in consiliis competenter satisfacere requirentibus de causis necessariis, & in confessione de pœnitentiis iniungendis. Septimò, ut sit talis in vita & in moribus,

ut

ut de ipſo & fratres interiùs, & alij exteriùs nihil videant vel audiant, per quod doctrina prædicationis eius apud audientes quoquo modo vileſcat. Nam cuiuſ vita deſpicitur, reſtat ut eius etiam prædicatio contemnatur. Octauo, ut etiam naturali tantum polleat induſtria, ut per fatuam ſimplicitatem non reddat contemptibile, quod per acquiſitam ſcientiam apprehendit ut ſciat ſe honeſté gerere inter homines, & prudenter in omnibus ſe habere. Nonó, ut non ſit minús ad hoc voluntarius: ut ſi ad hoc motu proprio non trahitur, ſaltem propter obedientiæ bonum proximorum ſaluti intendere prædicando, conſulendo & confeſſiones audiendo, & alios ædificando, non contentiosé recuſet. Gregorius: Quod mens voluntarié non recipit, congrué non diſponit. Sic multi ſanctorum officium, quo prodeſſe debebant proximis, humiliter refugiebant, & tamen ad hoc tracti per obedientiam, ſolicite adimplebant, ut Moyſes, Hieremias, & alij plures noui & veteris Teſtamenti Doctores. His donis ornato ſi gratia adfuerit, poteſt & debet imponi officium Prædicationis & Confeſſionis in Ordine ubi fuerit neceſſa-

sariorum. Qui vero alios non idoneos pro priuata societate promouent Ordini confusionem, & animabus nocumentum, & ipsis promotis detrimentum, & sibimet culpam non paruam procurant, cum negligentiæ inutilium & imperitorum, tam in consiliis incautis, quám in absolutionibus inefficacibus & in aliis nocumentis animarum ab eis qui tales promouent, merito requirantur. Tales enim in multis sæpe possunt offendere vel scandalizare, dum non dicenda populo prædicant vel falsa docendo errorem inducunt, vel aliter forté minus composité se habendo. Item in confessione forté nesciunt confitentes debito modo instruere, nec inter peccata grauia & leuia distinguere, & aut faciunt ex nimio rigore desperare; aut cum adhuc in statu damnationis sunt, dant eis spem de saluatione, & indulgent eis corpus Domini recipere. Et maximé circa rerum iniustarum acquisitionem, vel restitutionem multi seducuntur, dùm non informantur, quæ sit iniusta conquisitio, vel qualiter puré restituant quibus debent.

Ex moribus etiam quorundam & vita prædicantium vilescit sæpe doctrina verborum

rum: dum alta docent verbo prædicationis, ſed minus ædificatoria oſtendunt exemplo actionis. Unde ut diligenti examinatione indiget, qui debet eſſe doctor in medicina corporum: ita multa conſideratione opus eſt, ſi ſit idoneus, qui debet eſſe doctor & medicus animarum; cùm ſint ſubtiliores, & periculoſiores, & incurabiliores morbi peccatorum, quám paſſiones corporalium infirmitatum. Illi verò qui ſe ad hæc officia impudenter ingerunt, indignantes ſi ad ea tardius promouentur, quam ſint imprudentes, perpendere nolunt aut neſciunt; & eo ipſo ſe ad hoc oſtendunt & reddunt indignos: nam ſi digni fuerint & idonei, non debent ſe ad hoc ingerere, ſed modeſtè expectare quouſque per inſpirationem Dei à Prælatis ſuis & fratribus ad hoc ſuo tempore aſſumantur: ſi autem ſint indigni aut nondum idonei, tunc ſe ingerunt. Primò quidem temerarii ſunt quod antequam vocentur, ad tantum officium currere præſumunt. Unde *Hieremiæ* 23. Ipſi currebant cùm ego non mitterem eos, ſcilicet prædicare. Et Paulus Rom. 10. Quomodo prædicabunt, niſi mitantur? idem alibi Hebr. 5. Nec quiſquam ſumit

ſibi honorem ſed qui vocatur à DEO tanquam Aaron, &c. Et Chriſtus dicit in Joanne, cap. 8. Neque enim à me ipſo veni; ſed ille me miſit, ſcilicet Pater. Secundò, ſuperbi, quia ſeipſos reputant dignos & idoneos, ad quod forté nec Deus, nec fatres, vel Prælati ſui judicant eos idoneos, ſicut Chore, qui voluit ſibi Sacerdocium vendicare. Num. 16. Tertiò, ſtulti, quia cùm talia officia ſint occaſio tentationis per inanem gloriam, auaritiam, luxuriam, noxiam libertatem, & internæ deuotionis extinctionem, & alia plura pericula, quibus ipſimet ſe incaute ingerunt, nimis ſtultè ſe tantis periculis ſine neceſſitate exponunt, cum fugere magis deberent à periculo, quàm illud appetere, neſcientes quo exitu bellum quod ſibi concitant, finiatur. Quartò, non carent rancore inuidiæ, vel contra eos, qui ad hæc officia eos promouere poſſunt & non faciunt; vel qui fortè impediuerunt, imputantes illorum maleuolentiæ magis quam ſuæ inſufficientiæ, quod non promouentur cùm ipſi ſibi videantur ad hæc digniores, quàm illi quos vident jam promotos eſſe, quibus in ſcientia & aliis ſe reputant aptiores.

*Quæ-*

*Quæstio secunda.*

*Cur toties mutentur Prælati.*

Cum prudentum sit, non leuiter retractare quæ faciunt, sed antè diligenter deliberare facienda ne postea oporteat revocare; & vos toties mutetis Prælatos Ordinis: videmini aut inconsideratè constituere inutiles ad tantum officium, aut sine ratione utiles dicere, & quod est signum inconstantiæ & impatientiæ, quod non possitis pati Rectores idoneos, quos injuriosè abiicitis; aut quod in officio ita perversi fiant, ut merito non debeant in eo diutius tolerari; aut quod tam paucos habeatis in Ordine pro officio regiminis idoneos, ut semper quæratis meliores.

*Responsio.*

Sicut suprà de officiis & confessionibus dictum est, plures conditiones ad hæc fore necessarias; ita de officio regiminis animarum est tenendum. Requiritur enim in Prælato ætatis maturitas, honesta admodum personalitas, vitæ irreprehensibilitas. Quartò, quod non sit idiota in literarum scientia. Quinto, quòd sit discretus & prouidus ex naturali indu-

ſtria. Sexto, quod ſit zelator juſtitiæ & Ordinis diſciplinæ. Septimò, quod ſit tractabilis per manſuetudinis lenitatem. Octavo, quòd ſit conpaſſiuus pietate fraterna. Nonó, quod ſit deuotus, habens orationis uſum, & fiducialiter, agens cum Deo, ex guſtu internæ dulcedinis ejus, & experimento crebro exauditionis. Decimo; quod ſemper in officio eſſe ſe doleat, & tamen cum ad hoc compellitur, æquanimiter illud ferat, nec propter hoc ut citiùs abſoluatur ab officio, negligentiùs in eo ſe gerat. Undecimò, quod corporis imbecillitate à communis vitæ obſervantia non omnino impediatur. Iſtæ conditiones ſimul omnes in paucis reperiuntur: ideo paucos ſtabiles in officio poſſumus habere Prælatos, dùm aut nimis ſunt corpore debiles pro talibus laboribus & ſolicitudinibus ſufferendis, aut nimis inuoluntarii præ timore conſcientiæ, dum ſemper timent minùs quàm debeant facere, aut in exterioribus prouiſionibus nimij, aut mores eorum in aliquo fratribus diſplicent, vel minus placent, aut fortè in alio loco vel officio utiliores ſunt quidam, propter iſta ſæpe mutantur Prælati. Bonum eſt etiam propter

ter hoc, ne fiant aliquando insolentes, si scient se in dominio permansuros diu, ut sic in humilitate seruentur; & subditi, quibus fortè grauis esset aliorum alicuius prælatio, de spe facilis absolutionis eius consolentur. Sunt etiam quidam boni subditi, sed in utiles pro Prælatis: ideo deponuntur.

### *Quæstio tertia.*

#### *Cur toties transmittantur fratres ex uno loco in alium.*

Cur toties mutatis fratres aliquos de loco ad locum? Suspectum enim videtur quasi aliquod crimen ibi commiserint, unde mutantur, vel quasi ex impatientia sua vel aliorum non possint ibi manere vel ex rancore non permittat eos Prælatus stare, ubi diligunt & consolantur esse.

*Resp.* Vix aliquid fit tam purè, quin possit ab aliquo sinistrè interpretari, quasi malè fiat. Sed bonum non ideo malum est, si illud mali seu stulti dicunt malum. Sunt autem plures causæ, quare fratres de loco ad locum mutantur. Aliquando consolatio eius qui mutatur, quia sic petiuit. Aliquando consolatio ipsorum ad quos mittitur,

titur, quia hoc petiuerunt diligentes eum pro bona conuersatione vel utilitate. Aliquando forsitan, quia alibi magis necessarius est; & utilis pro prædicatione & confessione, vel alio officio domus illius. Aliquando pro majore spiritus ejus quiete, quia ibi nimis à parentibus & aliis inquirentibus infestatur. Aliquando pro communi recreatione, quia aër vel victualia plus ibi competunt ei, vel suppetunt pro indigentia sua. Aliquando, quia in uno loco habet aliquis tentationis alicuius materiam, quam non habet in alio. Posset etiam aliquando accidere, quod aliquis deliquisset in uno loco, quod pro vitando scandalo expediret eum mutari in alium locum. Similiter posset aliquis ita esse distortus moribus vel ex aliqua corporis qualitate onerosus, quòd pro partitione oneris aliis transmitteretur ad tempus, ut alii interim ab eo releuarentur, sicut onus ab uno humero in alium commutatur. Valet etiam ad hoc maximè talis mutatio, ut fratres secundùm Regulam agnoscant se peregrinos & aduenas in hoc mundo, non habentes hic manentem ciuitatem, & semper æternam patriam inquirentes. Si enim in

uno

uno loco diu ſtare deberent, quidam nimias ibi contraherent cum extraneis, cum potentibus, cum fæminis amicitias, corporis commoda procurarent, ſumptuoſa ædificia conſtruerent, & cùm ibi quaſi notiores, magis viderentur eſſe neceſſarii, tantò vellent eſſe ſuper cæteros potentiores; ita ut nec Prælati auderent ſine ipſis in domo aliquid ordinare; & veluti quadam diuturnitatis præſcriptione ſtabiliti, vix æquo animò ferrent, ſi vellent eos pro aliqua cauſa mutare, etiam ſi omnibus modis expediret. Ut ergo puritas paupertatis & Obedientiæ melius obſeruetur in Ordine, & mala plurima præcaueantur expedit fratribus aliquando à loco mutari.

*Quæſtio quarta.*

*Quid agendum ſit de domibus & ſimilibus, quæ fratribus legantur.*

Cum aſſeratis vos ſecundam Regulam & profeſſionem veſtram nullos debere recipere prouentus redituum, ſeu poſeſſiones, exceptis domibus in quibus habitatis, videmini tranſgreſſores REGULÆ veſtræ in eo quod recipitis domos vel areas non

non contiguas veſtris areis in quibus habitatis. Eodem enim modo, ſi hoc licet, poteritis etiam vineas recipere, & agros, & manſos & ſimilia quæque recipere, imo grangias, & villas, & caſtra, & terras, & oppida, & quæcumque fuerint vobis data; & ſic priſtina paupertas & mendicitas, quam profeſſi eſtis, paulatim euaneſceret: & non eritis diſcipuli ſancti Franciſci, cùm non ſequamini veſtigia ejus, nec ejus Regulam teneatis. De domibus enim vobis contiguis poteſt eſſe excuſabile, quòd pro dilatanda area veſtra illas quandoque recipiatis; ſed de aliis non ita, in quibus homines alios pro cenſu locatis, quem Procurator veſter loco veſtri exigit, & in uſus veſtros conuertit devoluntate veſtra.

*Reſp.* Si qui in talibus incautè agunt, dolemus, & contradicimus, & prohibemus. Qualiter autem in hoc licitè agere poſſimus, aduerte, & tunc non judicabis nos (ſi ſanè intelligis) tranſgreſſores. Proteſtamur non ſecundum Regulam noſtram, nihil debere, ſeu velle poſſeſſionis vel certorum redituum recipere vel habere. Quia verò mendici ſumus & pauperes, ea quibus pro præſenti neceſſitate indigemus ideò

reci-

recipimus prout licet, siue pro soluendis debitis, vel aliis necessariis procurandis. Cum ergo aliquis ex devotione vult nobis legare domum suam vel aream non contiguam nostræ mansioni, non recipimus eam nec per nos, nec per interpositam personam ut nostram: sed si ille eam disponit per alium quemcumque, ut ea vendita, de pretio ejus prouideatur nobis ex parte sui, in his quibus tunc indigemus, pro curandis vel solvendis debitis, acceptamus. Si autem ille timens, ne fortè ejus talis dispositio per hæredes suos vel alios in posterum impediatur, & propter hoc præoccupat roborare illam sigillo alicujus Judicis vel Ciuium, vel alterius, & sic committit eam alicui amico suo vel fratrum qui conseruat; quod ipse disponit de domo tali vel area, nil ad nos, cùm de rebus suis possit ordinare quod vult. Nec locum talem, nec domum dicimus esse nostram, cùm nihil juris nos in ea protestemur habere. Similiter si aliquis disponeret per amicum vel alium, quòd de pretio vel de prouentibus illis vel illis darentur fratribus tot panes quotidie, vel tantum eleëmosynæ singulis septimanis aut annis, non essemus propter

hoc prædii vel redituum possessores. Nam si me petente eleëmosynam, aliquis dives promittat, quod singulis annis velit dare fratribus duas tunicas vel tantum unam, vel singulis hebdomadibus tot panes, & hoc committat Officialibus suis, ut vice sui ista dent etiam eo absente, & hoc pro fratribus recipiam, vel etiam, si illi negligant dare, admonendo exigam, numquid propterea certos reditus habere dicendi sumus, cùm non ex jure, sed ex gratia solùm, talem eleëmosynam recipiam vel exigam? Et si post obitum illius, uxor ejus, vel alii amici pro anima illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleëmosynam per se vel ex dispositione illius largiri, possumus similiter accipere ex eadem gratia: ita quod quandocumque nollent amplius ista dare, nihil peteremus ab eis quasi ex debito, sed more mendicorum recurreremus ad domum clementis Domini pro quotidiana eleëmosyna, quandiu illi placeret: sed quando plus nollet, abiremus vacui, gratias agentes de dato, & non murmurantes de negato. Hæc est vera & pura vita mendicorum; quod datur ex gratia recipere, non ex jure. De Censibus verò domorum fra-

fratribus legatarum, nihil quærimus, ſicut nec de aliis reditibus. Si autem antequam vendatur, aliquem inde cenſum recipiunt, in quorum tunc poteſtate ſunt illæ domus, nihil juris habere in eo proteſtamur, ſed eleëmoſynam nobis ſponte oblatam ſimpliciter recipimus ſicut aliunde donatam. Quia verò Dominus docet nos cauere ab hominibus Matth. 10. Et Apoſtolus ab omni ſpecie mala abſtinere. 1. Theſſ. 5. ne putemur ab ignorantibus tranſgreſſores Regulæ noſtræ, debemus apertè proteſtari, nihil nobis juris in talibus donationibus velle habere; ſicut tenetur ſuſpectus de fornicatione omnia illa cauere, ex quibus poſſet iſta ſuſcipio probabilis judicari.

## *Quæſtio quinta.*

*Qua conditione recipiantur quæ poſtea pro fratrum uſu nomine dantium commutantur vel etiam venduntur.*

Cum denarios ſeu pecuniam nec per vos nec per interpoſitam, ex Regulæ veſtræ præcepto debeatis recipere, & tamen aliqua recipiatis, quæ venduntur poſtea pro pecunia, non video qualiter excuſemini à tranſgreſſione hujus præcepti, quia ven-

vendita illa re, ſicut priùs veſtra fuit res ipſa ante venditionem, ita etiam erit pecunia veſtra, quæ pro re data eſt, cum non habeat alium dominum niſi fratres, quod illicitum eſt omnibus maniſeſtè.

*Reſp.* Tria eleëmoſynarum genera dantur nobis. Aliqua enim recipimus quibus uti volumus, ut victus, & veſtitus, & libri nobis utiles, & ſimilia, quæ non proponimus alienare ab Ordinis uſu: *Quæ*dam autem dantur nobis, quibus nunquam in illa ſpecie uti volumus, ut veſtes ſæculares, & libri nobis non apti, vel etiam aliqua ſuperflua victualia, quibus forte non indigemus ad præſens. Iſta ſi nolunt fratres recuſare propter deuotionem dantium, poteſt procurator ea, vice illorum, ſeruare, ſicut pecuniam pro fratribus ei commiſſam, ut ſuo tempore inde prouideat eis, quibus indigent, ex parte illorum: Quædam verò dantur nobis pro uſu noſtro, & ea per nos recipimus; & poſtmodum aliquando contingit, quod ea volumus alienare: Si illa ſimpliciter venderemus, tunc fieret ſicut dicis, quod illa pecunia noſtra eſſet, ſicut res vendita fuerat ante noſtra. Sed ne tranſgreſſores Regulæ noſtræ ſimus, reci-

cipiendo pecuniam per interpositam personam, tres vias pro hac cautela tenemus. Aut enim rem aliam quæ vendi deberet, commutamus pro alia, qua indigemus, non interueniente pecunia, ut librum pro libro, oleum pro cera ad luminaria, & sic de similibus. Aut rem illam damus pro solutione debitorum, quantum res illa valet. Aut damus eam alicui, ut sua sit, & nobis pro ea de aliis quibus indigemus tantum acquirat, quantum res illa distracta valeret. Siue autem ille, qui sic eam recipit, postea vendat, siue reseruet ut suam, nil ad nos cum jam non sit nostra, sed ipsius, & ita non erimus præcepti illius de non accipienda pecunia transgressores. Qui aliter facit, videat quomodo conscientiam suam apud Deum justificet & apud homines à scandalo se excuset.

## *Quæstio sexta.*

*Utrùm quæ mendicantur, liceat commutari cum aliis, quibus fratres magis indigent.*

Olim non mendicastis, nisi solùm quo indiguistis: nunc autem non solùm petitis pro futuro tempore necessaria, sed eti-

etiam de una ſpecie tanto plus aquiritis, ut unum pro alio commutetis, ut oleum pro caſeis vel ſimilia pro aliis in hunc modum.

*Reſp.* Ut ſuprà dixi, dum pauci eramus, paucis indigebamus: nunc autem plures facti, pluribus indigemus. Et ſicut aliquando mendicus per plateas diſcurrens (cui ſolum panis aridus hinc indè datur, quem cōmunius habent homines, & paratius quàm alios cibos) dat aliquam partem panis pro buccela caſei, vel ouo, vel pomo; eo quòd non ſemper valet arido pane ſuſtentari, cùm ſit inedia confectus: ita & nos cùm non inueniamus ubique ſingula, quibus indigemus pro ſufficientia ad manducandum, eò quòd in omnibus terris non omnia abundent æqualiter, & homines non poſſint nobis dare illa quæ non habent, etiam oportet nos de talibus, quæ in quolibet loco magis abundant, tanto plus petere, ut per illa alia conquiramus, quæ aliter ibidem non poſſemus habere, & quibus ſimiliter indigemus: & hoc non eſt auaritiæ, ſed indigentiæ imputandum.

Quæ-

## Quæstio septima.

### Cur potiùs magni Conventus eligantur quam parui.

Multitudo est in causa quòd multis indigetis, quare ergo magnos Conventus facitis, & non potiùs bini vel quaterni, vel ad plus seni vel octeni, in domibus pauperculis habitatis, ut quietiùs in majori paupertate ibi viueretis & humilitate? quia pompositas quædam videtur, gloriari de multitudine.

*Resp.* His de causis magis diligimus magnos Conuentus quàm paruos, videlicet quia major disciplina potest ibi seruari, dum occupatio officiorum in plures diuisa, ordinatius & expeditiùs administratur; & coram pluribus quisque minus audet negligens aut insolens esse, & quilibet informatur ab altero moribus & scientia. Et ex his major potest esse deuotio, & ordinatior vita, & Officium diuinum pulchrius, & major cautela contra quælibet tentamenta vitiorum & Nouitij meliùs ibi informantur. Item quia major venit utilitas inde animarum, dum plures ibi stare possunt Confessores & Prædicatores. Vel etiam potest ibi meli,

melius teneri ſtudium Theologiæ, in quo habiles exerceantur ad eruditionem aliorum. In paruis autem domibus, dum alii ſunt in terminis, alii in villa pro eleëmoſyna, alii fortè debiles aut infirmi, alii occupati officiis in domo, nec deſciplina religionis, nec ſtudium, nec deuotio in diuinis valet, prout expedit, obſeruari.

## *Quæſtio octava.*

### Et quæſtionibus D. Bonaventuræ in ipſam Regulam S. Franciſci.

*Quare fratres incumbunt ſacris ſtudiis.*

Item quæro: cum Religioſi debeant ſimpliciter ambulare, & omnino virtutibus abundare, & ad hoc operam dare: cur rurſum ſtudio literarum (quæ olim ſancti Patres poſtpoſuiſſe laudantur, ut Benedictus & alii) ſe modo dant, & in ſecreta conuerſatione ſtudent?

*Reſp.* Quod cum (ſic ut dictum eſt) Prædicationis officium ex Regulari profeſſione Ordini annexum ſit, & etiam Confeſſionis quæ notitiam requirunt ſacræ Scripturæ, quæ ſubtili indiget in plerisque locis expoſitione: ne ex imperitia errores pro veri-

tate.

tate doceamus, necesse est nobis sacræ Scripturæ habere studium & magistros. Hæc enim scientia non solum utilis est ad aliorum eruditionem, sed etiam ad propriam instructionem: ut seruus Dei sciat seipsum bene regere, virtutes à vitiis discernere & notitiam Dei & futurorum præmiorum clarius intelligere, & in omnibus cautius & fructuosius conversari. Nam & Apostolus hortatur Timotheum *1. cap. 4. & 2. cap. 3.* ad lectionis studium; & sanctorum nobis diligentia in sanctarum ruminatione scripturarum frequenter commendatur. Veritas enim fidei, & vitæ sanctitas, non aliundè quàm ex scripturarum fonte hauritur, sine quibus impossibile est quemquam saluari. Hæreticorum enim versutiis, qui in scripturis sanctis occasionem erroris per falsas interpretationes assumunt, oportet per ipsarum diligentem inuestigationem diligentiùs obuiare, & fideles contra eorum fraudes & latentes decipulas præmunire. Unde D. Hieronymus, *epist. ad Paulin. cap. 4.* Sancta rusticitas solùm sibi prodest: & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet si destruentibus non resistat. Ad Titum cap. 1.

Potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere.

## *Quæſtio nona.*

### *Quare fratres interdum permittant altas erigi domos.*

Item quæro: Cùm ſancti Patres laudentur in caſellis & vilibus habitaculis habitaſſe: quid eſt quod vos altas & magnas domos erigitis, & Oratoria ſumptuoſa, & Areas latas magno pretio comparatis; cum ſitis pauperes & mendici, & contemptores mundanorum eſſe debeatis;

*Reſp.* ſicut jam ſuprà dictum eſt, cum inter homines nos manere oporteat, aut ergo extra muros civitatis aut intra. Si extra civitates maneremus, ubi poſſemus latiores Areas leuiori pretio comparare, vel in campis vel hortis; quandocumque bellum timeretur vel guerra, ciues loci formidarent, ne forté hoſtes Domos noſtras occuparent, & de illis niterentur ciuitatem vel oppidum expugnare: & non auderent etiam aliàs, quando ſibi timerent, ad loca fratrum pro Confeſſione, vel Miſſa, ſeu Prædicatione ſecuri venire: & ideo non dili-

diligunt ut in talibus locis commoremur. Quod si intra muros habitamus vel propter frequentiam populi areæ cariores sunt: oportet & nos areas carius emere, quantum sufficiant pro Claustro, Oratorio & Officinis congruis, pro Conventu, hospitibus, & infirmis, & horto herbarum, tam pro pulmentario, quàm pro aëris recreatione, ut infirmi refocillentur, & sani conseruentur, & lassi in spiritualibus studiis recreentur. Sæculares enim qui sæpè vagantur, domi non indigent recreatione aëris; Religiosi verò qui in Cellarum reclusoriis religantur; nisi aliquam interiùs habeant recreationem aëris, cito languescentes tabescunt, & ad studia spiritualia inhabiles efficiuntur: ita quòd nec sibi nec aliis proficiunt in devotionis internæ profectu, in sapientiæ intellectu, id est, virtutum exemplis, & in doctrina salutis. Et quamvis perfectis omnis locus aptus sit pro disciplinæ internæ exercitiis, imperfectis tamen & adhuc indigentibus eruditione virtutis, opus est etiam exteriori distinctione Officinarum claustralium: ut sciant ubi tacere debeant, ubi loqui liceat, ubi orare, ubi laborare, ubi legere,

ſcribere, vel comedere ubi, ubi ſit requies infirmantium, ubi repoſatio de labore itineris venientium, & aliorum quæ in Collegiis ſunt neceſſaria: ne, ſi confusè indifferenter ſingula fierent pro libitu, jam nec diſciplina, nec quies, nec devotio, nec ordo inter fratres, ſicut expedit, ſervaretur; quod eſſet in magnum detrimentum Religionis, & in ſcandalum alienis, & in deſtructionem ſalutis: quia nec minores diſcerent à quo proficerent, nec perfecti alios ædificarent. Quia verò intra ambitum civitatis (ut dictum eſt) cariores ſunt areæ, quòd non poſſemus facilè ſufficientiam congruæ latitudinis habere, ut omnes Officinæ deorſum collocarentur juxta ſe invicem: oportet aliquando, ut una ſuper alteram locetur, ita ut utraque aëris reſpiraculo non careat. Ex hoc domus noſtræ magnæ apparent, & excelſæ ac ſumptuoſæ, & paupertati diſſimiles, cùm tamen paupertas hoc magis efficiat: quia ne circa dilatemur, inferiùs anguſtamur. Et quia circumſepti ſumus domibus aliorum vicinorum, & quia in civitate ſæpe inſurgunt incendia late peruagentia, ne vel domus, vel Eccleſiæ, vel libri, vel alia neceſſaria

fre-

frequenti diſcrimini ſint expoſita & in continuo tremore infirmantium corda ſint inde ſuſpenſa, & ne ipſi vicini noſtri à nobis per incendia moleſtentur: ubi poſſumus, facimus domos lapideas, ut nec igne, nec vetuſtate citiùs deſtruantur: quia non ſolùm corporibus, ſed etiam cordibus magna eſt deſtructio, noua ſæpius ædificia conſtruere: maximè illis qui non habent ſumptus, niſi quantum valent colligere mendicitate. Non tamen intendo in his excuſare, niſi quæ valde neceſſaria ſunt & rationabiliter: ubi autem ſuperfluitas curioſitas, & irreligioſitas, & Regulæ paupertati noſtræ derogantes eſſent ſtructuræ, reprehendo tecum, & omnia alia quæ Deo diſplicent, tam in moribus, quàm in rebus.

Quintuplicis enim peccati rei ſunt, qui ſuperflua in ædificiis & aliis, quibus utimur, procurant & acquirunt.

Primò, propter tranſgreſſionem Profeſſionis: quia pompis renunciantes ſæculi, in paupertate & humilitate vera promiſerunt Domino famulari. Unde Galat. 2. Si enim quæ dèſtruxi, iterum hæc ædifico, præuaricatorem me conſtituo.

Secundò, propter malum exemplum,

quo alij diſcunt ab eis ſimilia facere, vel ſcandalizantur, quando vident eos qui hujuſmodi pro Chriſto ſpernere debent, quærere vel ſectari.

Tertio, propter inquietudinem fratrum propter hujusmodi Ædificia & procurationes: quia & deuotio extinguitur, & diſciplina religionis plurimùm diſſipatur. Iſai. 49. Venerunt ſtructores tui deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt.

Quartò, propter ſpoliationem aliorum pauperum, quibus ſæpe eleëmoſynæ præripiuntur, & hujusmodi ſtructuræ fiunt ex quibus illi deberent veſtiri & paſci, dum quod iſtis datur, eis negatur: quia ad dandum utriſque deficit dantium largitas & facultas.

Quintò, quia quando nimis urgemus homines ad dandum perdunt devotionem ad nos priùs habitam; quòd nec de prædicatione, nec exemplis, nec aliis quæ facimus ædificantur. Unde cùm vident nos accedere, terrentur & timent, quòd aliquid velimus ab eis expetere, quod graue ſit eis dare, & erubeſcunt negare; & ſi dederint non libenter, minus merentur & ſic rebus, & devotionis merito, priuantur.

Quæ-

## *Quæstio decima.*

### *Utrum fratribus liceat, esse solicitos in crastinum.*

Item quæro: Cùm Dominus in Evangelio dicat: Nolite soliciti esse in crastinum; & vos sitis Paupertatis Evangelicæ professores; non debetis plura colligere vel servare, quàm quod posset quotidie ad unius diei victum sufficere. Sed videtur quod non seruetis.

*Resp.* Si diligenter Evangelij verba pensamus, solicitudinem de crastino, sed non prouisionem prohibere videtur. Unde sancti Apostoli, Evangelij Christi perfectissimi obseruatores, tam pro se, quam pro aliis Christi pauperibus, qui omnia pro Christo reliquerant, à fidelibus subsidium pro corporum necessitate etiam in futurum petebant & recipiebant. Sicut Paulus, rogatus à Petro, Joanne & Jacobo collectas fieri per Ecclesias, pro Christi pauperibus sustentandis mandauit *Galat.* 6. 2. *Corinth.* 8. Et aliis locis pluribus reperitur id fecisse, qui etiam; pro aquirendis necessariis sibi & sociis, suis laborauit

manibus. Solicitudo enim notat curæ anxietatem, illicitam conquiſitionem, auaram ſuperfluorum prouiſionem. Sicut enim in operatione ſalutis noſtræ principaliter ſpem in Deum jactare debemus, ita & in corporali ſubſidio ſolicitudinem debemus ei committere, & tamen ubi congruè poſſumus ſine jactura ſpiritualis profectus noſtri & aliorum nobis neceſſaria prouidere: ne aliter quaſi Deum tentare videamur, ut miraculosè ſicut olim filiis Iſraël nobis quotidie alimoniam ſubminiſtret. Licet enim priorum fratrum puritas, pro majori perfectionis ardore, pauciora quàm nunc conſueuerint ad victum colligere neceſſaria, & populus propter hoc talem opinionem conceperit, quòd nil nobis licet ſervare in craſtinum; tamen nec tunc, nec nunc, aliquo modo nobis prohibitum eſt ſtatuto, quin poſſimus ad victum aliqua etiam neceſſaria in futurum pro aliquo tempore prouidere, maximè de iis quæ in promptu, cùm indigemus non poſſemus acquirere medicando. Sunt enim, quæ niſi colligamus certo tempore quando eſt copia, quando inter manus communiter habentur à populo, poſtmodum nec pro

in-

infirmis, nec pro hoſpitibus, nec pro aliis ſine magna difficultate vel magno pretio poterunt haberi. Mendici enim maximè illo tempore ſolent neceſſaria petere, quo ſciunt ea promptiùs à dantibus inter manus haberi, ut circa horam comedendi. Sic & Dominus populo certo tempore præcepit Mannæ alimoniam colligere, qui non omni tempore in agro, etiam ſi quærerent invenirent. *Exod. 16. & Pſalm. 144.* Tu das eſcam illis in tempore oportuno. In hoc enim non tam nobis quàm illis à quibus petimus, prouidemus quando tali tempore petimus quo ipſi faciliùs dare poſſunt, & magis ſunt voluntarij ad eleëmoſynam largiendam.

*Quæſtio undecima.*

*Quare fratres interdum nunc plura mendicando conquirant quàm olim.*

Item quæro: Quid eſt hoc, quod modò plura petitis quàm olim: ut cùm tunc vix in una vel paucis villis & pauca poſtulaueritis, modò latè per terram & oppida & caſtra peruagando plurima congregatis? Videtur enim, avaritiam inter vos

creuisse; & curam ventris hanc vobis providentiam persuasisse. Videtur etiam quod spiritus extinctio vos in cella quiescere non permittit.

*Resp.* Viciosos in hoc & in aliis excusare non audeo, ut dixi; sed rationem pro illis, qui ratione ducuntur, & pia intentione omnia faciunt, ostendere beneuolis nunc intendo: quia maleuoli, qui magis facta nostra calumniari desiderant, quàm agnoscere veritatem, magis dolent, si ostensa ratione eis materia subtrahatur detrahendi. Quia inimicus vult potius causas malignandi contra eum quem odit, adesse quàm abesse: ut non ex inuidia, sed ex justitia eum persequi videatur. Quod autem nunc potiùs quàm olim videmur mendicando plura colligere, inter alias principales causas, quas potes advertere veras esse, una est: Quòd cum olim pauci fratres fuissent in Ordine, nunc multò plures sunt ubique & plures pluribus indigent: quantò numerus numerum excedit, in omnibus quæ necessitas requirit, est magis opus. Nam Dominus infans natus modico diuersorio & præsepio contentus fuit; sed aggregata discipulorum

tur-

turba ad celebrationem Paſchalis conuivij quæſiuit ſibi præparari cænaculum grande ſtratum. Secunda cauſa eſt, quod inter plures ſunt etiam debiles & infirmi, maximè qui olim ſtrenuæ religionis, & arduæ paupertatis pondus, per annos plurimos portantes, nunc ex humanæ mortalitatis defectibus laxati, cogente ipſa charitate, non debent ipſi ut infirma pecora relinqui; ſed piè, quandiu poterunt, fulcimentis corporalium neceſſitatum pro miſericordia & aliorum ædificatione, & pro juniorum inſtructione ſuſtentari: & propter tales oportet & expedit plura peti. Tertia cauſa, quia plures modò mendicantes ſunt in Eccleſia de diuerſis Ordinibus: & quod nobis ſolum dabatur integrum, nunc minuatim diuiditur inter plures: unde cogimur nunc latiùs tanto vagari, quò minus in locis ſingulis datur nobis. Quod enim aliquando offerebatur nobis non quærentibus, nunc vix per diuerſa minuatim colligimus cum rubore. Et oportet nos petere, quia non petentibus parum datur, dum ex multitudine petentium homines ſunt laſſati. Qui autem per ſe nihil habent, neceſſe eſt eos omnia quibus indigent,

gent.

gent, ab aliis postulare, vel carere, nisi velint illicite acquirere, vel quocumque modo apud alios deseruire, vel nisi gratis eis donetur. Quarta causa, non tamen omnino commendabilis, sed pro aliqua parte excusabilis, accedit: quia qui non est patiens penuriæ in his quibus indiget, plura eum conquirere oportet.

## *Quæstio duodecima.*

### *Respondetur per plures rationes ad quæstionem præcedentem.*

Item quæro: Quæ potest esse hujus impatientiæ causa nisi voluptuositas, quæ nil vult sibi deesse illorum quæ appetit, quæ omnis religiositatis est exterminium.

*Resp.* Hoc etsi in quibusdam habeat locum, non tamen est potior causa, sed aliæ quædam. Una, quia, ut dictum est, plures habemus debiles & infirmos, quàm olim, cum omnes ferè noui erant in Ordine: qui cum lassati jam exhausti sunt viribus, oportet ut reficiantur, ne penitus deficiant; quod esset contra Misericordiæ, Charitatis, & Discretionis virtutem, cùm tales maximè consilio, & zelo,

&

& pietatis exemplo ſuſtentent Ordinem in ſuo vigore, ne ſubito corruat à priſtina puritate, licet virtute corporali jam non ſicut olim imminenter exiſtimentur lucere, propter corporis diſtractionem, aut oportet quod contra miſericordiam deficere ſubitò permittantur, & tunc magis ex hoc fouebitur in Ordine carnalitas: quia quilibet juvenis & ſanus, inſtructus carnis prudentia, cogitabit apud ſe, dicens: Si tales viri pro ædificatione Ordinis corpora ſua tradiderunt omnibus laboribus, modo debilitati, ſic permittuntur abſque miſericordia perire: volo mihi cauere, & parcere corpori, & illud fouendo cuſtodire, ne mihi ſimiliter contingat. Et ſic aliquis audebit de cætero vix feruenter in Dei ſeruitio ſe exercere. Si autem debent debiles miſericorditer refoueri, expedit ut etiam alij qui unum corpus ſocietatis cùm eis ſunt, & eis ſeruiunt & labores Ordinis pro eis in domo, in diuino Officio, in frigore, & petendis eleëmoſynis & aliis obſequiis patiuntur, aliquo modo mitiùs pertractentur, & meliùs reficiantur, ut minus de illis ſcandalizentur, & minus murmurent contra eos, quaſi ipſi ſoli conſumant

mant omnia quæ offeruntur; & ut patientius pro eis laborent, & hilarius ministrent, & ut ipsi debiles minùs erubescant, & confidentiùs audeant necessitates suas accipere, cùm videant alios etiam secum esse participes in consolatione. Sani ergo & fortes non debent, propter se ista appetere, nec suæ industriæ adscribere, quando petentibus eis eleëmosynam ista offeruntur: sed cogitare debent, sicut & veritas est; quod Deus ea propter debiles ministrat, & in tanta copia, quòd exinde etiam sani consolentur. Propter præmissas rationes vult etiam Deus veritatem suæ promissionis, & euidentiam suæ liberalitatis ostendere, dum nobis, qui nullos certos reditus pro ipso habere decreuimus, & totam solicitudinem in eum jactauimus, indulgentiùs necessaria ministrat, quàm aliis quibusdam, qui lata prædia habent, & loculos plenos, ad hoc, ut ei securiùs confidamus, & fideliùs seruiamus. Alia causa est quia eorum qui nuper de seculo venerunt, quidam delicatè sunt nutriti: & cùm in Ordine subitò contra solitum coguntur aliter viuere in labore, & victu, & coërtitione magisterii, trita caro tenera

lan-

languescit: & nisi clementer foueantur, donec paulatim assuescant Ordinis pati rigorem; aut semper tabescendo languescent, aut ex rigoris hòrrore ad Vomitum reuertentur & ideo expedit ut suprà. Tertia causa est, spiritualis studij: nam assiduum in studio sacræ Scripturæ, in deuotionis desiderio, in tentationis certamine, internæ solicitudinis vigore ita consumit & exsiccat vires corporis; ut nisi exterius quandoque aliquatenus refocillentur; non valeant diu subsistere. Quod autem aliquando lautiores cibos & potus habere videmur hoc est proprium mendicorum: qui dum non reseruant in posterum, ut cumulos congregent, ut prædia lata comparent, statim comedunt & bibunt ea, quæ Dominus administrat. Et quia pro honestate & deuotione sua plerique dant nobis non de vilioribus, sed de melioribus quæ Dominus dedit eis: etiam nos cum interim non habeamus alia quibus utamur, ne videamur ingrati & auari, comedimus & bibimus quæ offeruntur nobis indifferenter, tam illa quàm alia, juxta illud Regulæ: De omnibus cibis qui apponuntur eis, liceat manducare. Mendicus enim si recu-
sat

ſat ea quæ offeruntur cùm non habeat unde alia emat: remanebit inanis. Quia verò diuerſi diuerſa, & aliquando quaſi aduerſa mirantur de nobis ut cum illi in nobis reprehendunt carnalitatem, alij verò duritiem, quilibet pro viſu ſuo & affectu: oportet nos ſingulis de ſuis quæſtionibus reſpondere, & rationem reddere, licet ſequentia præcedentibus continuato ipſis ordine ad hoc non cohærent, ſed modò de hac, modò de alia tractemus, &c.

## *Quæſtio decima tertia.*

### *Cur omnes fratres non incumbant labori manuali.*

Item quæro: Cur non laboratis manibus pro victu, ut non ſitis Eccleſiæ oneroſi in eleëmoſynis petendis?

*Reſp.* Si de puro labore manuum deberemus viuere tantum urgeret nos operis inſtantia, quod aliorum lucris intendere non poſſemus, nec diuiná liberè celebrare, nec orationi libere vacare. Cùm enim ad Confeſſionem vel Prædicationem frater vocaretur, reſpondere cogeretur: Opus meum quo victui meo hodie deſeruire debeo,

beo, nondum expleui; & ille cui laboro, priusquam deseruiam, non dabit mihi mercedem debitam, ideo non possum venire. Alii autem omnes præter infirmos laborant: alii autem in studio ut fideles erudiant: alii in diuino Officio & laudibus Dei: alii in colligendis eleëmosynis pro sustentatione communi: alii in officiis domesticis, infirmis & sanis ex injuncta obedientia ministrantes: quidam qui sciunt artes aliquas mechanicas pro fratribus & extraneis exercentes, sicut mutuo cooperantur inter se formicæ & apes: quidam per obedientiam missi, diuersas terras perambulant, cùm nuncios alios idoneos non habeamus, & sic nullus impunè permittitur otiosus, &c.

## *Quæstio decima quarta.*

### *Quare tam multi recipiantur novitij, & sæpe inutiles?*

Item quæro: Cùm multitudo sit sæpe occasio confusionis, eo quod regi non possit, cur multiplicatis numerum in recipiendo inutiles, & oneratis vos ipsos & alios?

*Resp.* Inutiles omnino scienter non recipimus, sed præter spem nostram aliquoties sic contingit. Quatuor enim causis solemus recipere superuenientes. Una est compassio perditionis eorum, qui vix extra Ordinem in sæculo saluarentur: sicut qui de igne vel aqua periclitantem rapit, vel de alio discrimine. Secunda, propter profectum Ordinis, qui ex scientia & industria, morum honestate & reuerentia quorundam futurus præsumitur. Tertia, propter aliorum ædificationem: ut multi de talium conuersatione, qui aliquo modo sunt famosi in sæculo, emendentur, & eorum incitentur, exemplo.

Quarta, propter precum instantiam, quam ipsi faciunt pro se & alii pro eis, nimia importunitate obtinent aliquos recipi, quibus denegari non potest. Sicut autem agricola sæpe seminat & plantat in spe quòd omnia conualescant: quod tamen plerumque in aliquibus non eueniet: ita congit & in religiosis ad Ordinem receptis. Lucæ 8. Aliud cecidit secus viam, &c. Seminat plures sulcos: ut si aliqua pereant alia pro illis conualescant. Si tamen omnes conualescerent, seges copiosior proueniret &c.

*Quæ*

## *Quæſtio decima quinta.*

### *Cur non omnes Religioſi ſint perfecti.*

Item quæro: Unde eſt, quòd videmus aliquos Religioſos moribus ita diſtortos & rudes, ſicut aliquos ſæculares, vanos, cupidos, inuidos, detractores, iracundos, contumelioſos, deſides, diſſolutos, auaros, inuerecundos, delicatos,guloſos, garrulos, laſciuos, & quod ex his oritur, forſitan incontinentes?

*Reſp.* Religio eſt ſchola virtutum in qua, ſicut in aliis diſciplinis & artibus diſcendis incumbitur. Videmus autem quod alius alio peritior eſt, alius rudior, alius diligentior, alius ſegnior. Hæc autem differentia ex quatuor cauſatur. Una cauſa eſt, quòd alicubi informatores habentur, quorum eruditione boni diſcipuli nutriuntur: ubi autem non habentur, aut rudes in ſpiritualibus erunt diſcipuli, aut erroribus variis ſub ſpecie boni per ſenſum proprium ſeducuntur, habentes quidem zelum juſtitiæ, ſed non ſecundùm ſcientiam: & ſic à perfectione virtutum plurimi retardantur, ut vel malum æſtiment bonum, aut minus bonum putent optimum, aut

aliam viam quàm debeant ad perfectionem tenendam. Secunda causa est, defectus seu copia bonorum exemplorum quia novi in Religione sæpe tales fiunt, quales alios esse vident; sicut in sigillis cera talem imaginem recipit, qualis fuit impressa: & fiunt sancti cum sanctis, boni cum bonis, peruersi cum peruersis. Tertia causa est, nouitas in Religione, quia incipientes non possunt vel non habent illa quæ habent prouecti vel perfecti. Et ignoscendum est eis in aliquibus, & patienter exspectandum, donec crescant & addiscant, quæ nondum apprehendere voluerunt. Rom. 14. Debemus nos firmiores imbecilitates infirmorum sustinere. Qui à puero exigit labores viri, & ab infirmo vires robusti, & à scholari unius anni, vires magistri, imprudens est 1. Corinth. 13. Cum essem paruulus, loquebar ut paruulus. Ex hoc arguitur stoliditas Sæcularium quorumdam: qui dum vident aliquem Religiosum in aliquo offendere, omnes Religiosos despiciunt; quasi omnes tales sint: cùm ipsis videretur injustum, si quis eos propter aliena vitia deteriores haberet. Quarta causa est, defectus gratiæ: non

enim

enim omnes omnia possunt. Sicut enim multi vellent esse diuites, & non possunt: ita non omnibus datur æqualis gratia spiritualium donorum Rom. 7. Velle mihi adiacet, perficere autem bonum non inuenio. Quinta causa est, Voluntas propria, ( etsi non omnia adsint prædicta ) dum quis diu stetit in Religione, & bonorum exempla despexit, doctrinam non curauit, gratiam abjecit, virtuti non studuit, vitiis se subdidit: sicut heu plures sub Religionis habitu, velut dealbata sepulchra, in scandalum aliis conteguntur. Matth. 23. Ve vobis scribæ & Pharisæi, Hypocritæ qui estis, &c.

## *Quæstio decima sexta.*

### *An fratres habeant aliquid proprium.*

Item quæro: Cum Regula dicat, quod nil proprium debeatis habere, nec in speciali, nec in communi, & vos habetis domos, hortos, libros, vestes, & alia victui necessaria pro tempore: quomodo potestis transgressiones hujusmodi excusare bona conscientia?

*Resp.* Videmus in sæculo famulos Domi-

minorum panem non ſuum comedere, tecto non ſuo contegi, & rebus alienis uti, vel Dominorum ſuorum: ſic & alij ſæpe conceſſis utuntur, tam veſtibus, quàm aliis rebus de illorum voluntate quorum res ſunt. Sic & nos utimur rebus neceſſariis pro corpore, quas tamen nec in ſpeciali nec in communi nobis appropriamus. Regula enim non dicit, nos nihil debere habere, ſed nihil nobis appropriare. Unde uſum rerum neceſſarium habere poſſumus, non proprietatem: alioquin nec veſtem, nec cibum, nec aliquid aliud in uſum recipere deberemus; quod eſſet contra omnem rationabilem intellectum. Præſul enim Sedis Apoſtolicæ, qui eſt generalis omnium prouiſor Eccleſiæ pauperum, ſpecialiter noſtri Ordinis curam habens, omnium mobilium quæ Ordini conferuntur, proprietatem ſibi aſſumpſit, exceptis iis quorum dominium ſibi conferentes retinuerunt: & nobis uſum earundem rerum ſolum concedit; ut ſemper alieno victu, & veſtitu, & tecto, & aliis utenſilibus abſque proprietatis jure ex ipſius conceſſione utamur. Sicut familia patrisfamilias, quæ rebus domini ſui utitur,

tam

tam in abſentia, quam in ejus præſentia corporali, ſecundum ipſius diſpoſitionem. Et eleëmoſyna, quæ nobis à fidelibus datur, tranſit in uſum noſtrum, & in illius dominium, qui eſt principalis Ordinis noſtri Diſpenſator, cui parati ſumus omnia quæ habemus cum juſſerit, tamquam Domino prout conuenit, reſignare: ut nihil juxta hoc proprietatis habentes, Regulam noſtram bona conſcientia obſeruemus.

## *Quæſtio decima ſeptima.*

### *An fratres recipiant eam pecuniam quæ datur amicis ſpiritualibus.*

Item quæro: Cùm iterum Regula dicat, quod nec per vos, nec per alios, debeatis recipere denarios vel pecuniam, videmini per contrarium hoc facere, tam petendo pecuniam, quàm reponendo, quàm etiam diſpenſando; quia etſi perſonaliter eam non contrectatis, tamen per alios eam ſeruari & recipi facitis, & diſtribui ſicut vultis: & tamen inhibetur ſicut per præceptum, ut non habeatis ſuper hoc poteſtatem diſpenſandi. Neſcio quomodo hanc tranſgreſſionem excuſare poteſtis. Si au-

tem non possET hoc præceptum seruari, non deberetis vouere, & potius esset à Regula recedendum, quàm laqueus esset vouentibus, cum seruari non posset.

*Resp.* Multa putantur male, quam diu non intelliguntur, quæ intellecta rationabilia & justa videntur. Sic in ista quæstione apparet. Regula prohibet nec per nos, nec per interpositam personam recipere pecuniam, ut nostra sit, & nos Domini & possessores pecuniæ simus, quasi rei propriæ, sed concedit quod per amicos spirituales, qui pro Deo nos spiritualiter diligunt, id est, castè & justè, procuremus necessaria: quæ tali modo utraque congruè observantur, quòd ea quæ sine pecunia non possunt procurari, aut per ipsos procurentur, qui fratribus dant eleëmosynam, aut per eorum nuncios, ut cum aliquis prócurat fratribus librum scribi, vel vestem fieri, vel domum, vel aliud suis laboribus & expensis: aut si fratres ista procurant, illi soluunt pecuniam illis, qui fratribus commodauerunt. Unde ista sunt procuranda, ut cùm fratres faciunt librum scribi, alius soluat expensas per se vel per nuncium suum. Aut si aliqui volunt dare

re

re fratribus eleëmosynam pecuniæ, possunt committere alicui, qui nomine suo eam seruet, pro utilitate tamen fratrum: ut vice eorum, qui sibi commiserunt pecuniam, procuret inde fratribus secundùm quod voluerit, secundùm quod à fratribus instruitur per se vel per alios, qui aptiùs ea promouent, quæ sibi fuerant commissa. Et per omnes istos non recipiunt pecuniam fratres; sed illi per se pro illis qui sibi comiserunt pecuniam, conuertunt eam in utilitatem fratrum, vicem illorum gerentes, in eo quòd seruant & distribuunt ipsam pecuniam, quæ adhuc illorum est qui dederunt, etiam si nesciunt adhuc seruari: offerentes autem vicem fratrum in eo quòd eorum utilitatem promouent de pecunia aliorum. Fratres enim, quàm diu pecunia non est redacta in rem aliam, qua eis uti licet, non habent eam pro sua, sed illius qui deposuit eam; licet sciant, eam pro sua utilitate ibi repositam. Sicut enim dominus committit seruo suo pecuniam suam, ut mihi inde emat tunicam, interim est domini; sed empta tunica, mea erit. Secundùm hanc viam & cautelam fratres, & per amicos spirituales, & quos-

libet procuratores & mediatores, procurant necessaria: nec recipiunt pecuniam per illos Procuratores, sed illi seruant illam nomine dantium & vice ipsorum vertunt eam in utilitatem fratrum, ut dominium pecuniæ non transeat in proprietatem fratrum. Unde Conditor Regulæ magis intendit fratribus præcludere viam auaritiæ in possessione pecuniæ per quam omnis Religio suffocatur; quam obstruere opportunitatem necessaria procurandi. Sedes etiam Apostolica (cujus acta toti Ecclesiæ dijudicanda exponuntur & veneranda) ipsam Regulam confirmando, non approbasset, si in ea aliquid incongruum & inobseruabile perspexisset. Ideo vouentibus eam non est laqueus perplexitatis, licet indigeant diligenti cautela, ne offendant contra eam, qui debent aliqua necessaria pro pecunia procurare: quæ tamen cautela magna est meriti, quamuis illi tutiùs ambulent, qui se subtrahunt talibus negotiis, qui ad ea ex officio non coguntur.



EPI-

# EPISTOLA BONAVENTURÆ AD MAGISTRUM INNOMINATUM.

Innominato Magiſtro frater Bonaventura, ſpiritum intelligentiæ veritatis exoptat.

Proponis, chariſſime ut tibi tres articuli de Regula fratrum Minorum abſolvantur: de quibus te oſtendis pluribus rationibus dubitare: ſcilicet de paupertate, Labore manuum, & ſtudio Scholarium & Magiſtrorum. Cùm enim Regula dicat; quòd fratres non recipiant pecuniam per ſe, vel per interpoſitam perſonam: & rurſum, nec locum, nec aliquam rem ſibi approprient; videntur tibi fratres in hoc Regulæ contraire, cum tibi videantur pecuniam per interpoſitam perſonam recipere, libros habere, & domos, cùm non poſſint harum rerum, quas habent, dominos aſſignare. In Labore etiam manuum ſibi injuncto, ut videtur, ſub præcepto culpabiles tibi videntur, cùm nec Laici laborent in operibus mechanicis, nec Clerici manu propria in libris ſcribendis, quin potiùs cum magnis ſumptibus faciunt eos ſcribi, ac ſi apud ſe haberent numiſmatum

per-

percussores. Postremò in studio & magisterio fratres condemnas. Cùm Regula dicat, quod non curent nescientes literas, literas discere: fratres plerumque tam Clerici quàm Magistri, qui etiam in sæculò parum aut nihil de Philosophia audierint, student, recitant, scriptitant, imò, quod plus est, laniant, dissipant, & ædificant. Nec videtur tantæ humilitatis professoribus posse competere nomen Magistri, cùm hoc videatur Dominus in Evangelio Matth. cap. 23. suis discipulis inhibere, quorum nos dicimur imitatores, tanquam professores Evangelij JEsu Christi. Hæc (ut asseris) tibi in corde, de statu & salute fratrum, scrupulum generant, & tuam conscientiam inquietant. Super hæc addis assertionem quorundam, qui tibi nisi sunt hanc conscientiam de fratribus fabricare. Intende igitur in ea quæ dicturus sum: dabit enim tibi Dominus precibus gloriosæ Virginis, & beati Francisci, rectum in omnibus intellectum.

Supponis, quòd Regula paupertatem præcipit, comendat laborem, vetat curiositatem; Suppono & ego. Detestaris ob hoc receptiones pecuniarum, proprietates libro-

librorum ac domorum : Vitupero & ego, imò nos omnes perſequimur fortiter & culpamus. In hoc conuenimus. Sed quod fratres tales credis ; aut, ſi non credis, dubitas, in hoc penitus diſſentimus. Nec enim hoc credo, nec dubito, certum habens oppoſitum tanquam verum ; non quia nullus in Ordine talis ſit qui non poſſit culpari in aliquo prædictorum, cum nec in duodecim Apoſtolis talis perfectio potuerit reperiri ; ſed Communitatem ſtatus, de qua & tu injungis, defenſandam aſſumpſi. Vide igitur quid ſentire debeas de receptione pecuniæ. Teſtificor coram Deo, quoniam veritatem ſum expreſſurus, ſecundum meam conſcientiam, & in omnibus ſubjungam. Non credo te aliquatenus dubitare, quin pauperibus, quantumcumque extremam vouerint paupertatem, liceat recipere eleëmoſynam, niſi vellint ſe occidere : quod ſi nefas eſt, licet hoc fratribus, quod nullus ſanæ mentis ignorat. Non eſt igitur contra eorum profeſſionem, ſi quis diues homo hanc eis miniſtrat manu propria. Quod ſi noluerit, poteſt eis miniſtrare per manum ſerui ſui. Quòd ſi ille ſeruus non poſſit, ſed com-

mit-

mittat alii: quare non liceat per manum tertiam, non videtur. Quare etiam usque ad decimam manum non potest, non video. Quod si diues habens pecuniam, dat victum aut vestitum fratribus necessarium, nonne potest ipse manu sua emere; nonne potest ipse pecuniam pro emptione alii committere? & sic per multas manus in usus fratrum exponere, pro releuandis eorum necessitatibus sine offensione fratrum; Quis sanæ mentis hoc dubitat? cùm pecunia ita sit domini, cùm committitur personæ intermediæ, ac si ipse dominus eam manu propria conseruaret. Nisi fortè quis ita desipiat ut dicat quòd pecunia in manu seruientis posita, transeat in eius dominium, & desinat esse domini; quod penitus absurdum est. Quod si dicas, quòd dominus simpliciter & absolutè dare intendat fratribus; dico & ego, quòd nullus sanæ mentis dare intendit fratribus, nisi prout competit Regulæ & professioni eorum. Quis enim daret eleëmosynam, ut eos faceret perdere vitam æternam? Dat ergo eo modo quo fratribus expedit, scilicet committendo alicui, qui per se eam dispenset in his rebus, quas fratribus li-

cet

cet accipere. Et ſic pecunia illa per quorumcumque manus tranſeat, nullo modo ſpectat ad fratres; quia ſemper eſt primi domini. Et eſt per hoc manifeſtum, quod nec per ſe nec per interpoſitam perſonam eam recipiunt. Fateor coram Deo, ita eſſe verum in conſcientiis fratrum. Quod ſi forte mihi non credis tamen ipſi Domino Papæ credere debes, qui in utroque Jure peritus, Ordinis & perfectionis æmulator, qui (ut ipſe teſtatur) in conditione Regulæ beato Franciſco aſtitit, & ejus plenum intellectum agnouit. Qui requiſitus à fratribus, dicit, quod fratres, volentibus ſibi eleëmoſynas facere, poſſunt fidelem aliquem præſentare, qui taliter præſentatus, non eſt eorum nuncius, ſed illius potius cuius mandato ſolutionem facit, ſeu recipientis eandem. Hæc ſunt verba ipſius. Quis ita deſipit, ut ſi dicam alicui: Iſte fideliter exequetur vel cuſtodiet quod ei committes; quod propter hoc, quidquid ille acceperit, fiat meum: cùm etiam, licet hæc verba non ſemper exprimantur, ſemper tamen habentur in corde, & ſemper ab illis credimus ſic accipi. Quis ergo tam improbus, ut impugna-

gnaret hanc veritatem, per tantorum virorum conſcientiam ſanam & diſcretam, per tantam rei euidentiam, & ut nihil deſit, per Sedem Apoſtolicam confirmatam? Certus ſum quod talis portabit judicium.

De libris & utenſilibus quid ſentias, audi: Clamat Regula expreſsè imponens fratribus officium prædicandi, quod non credo in aliqua alia Regula reperiri. Si igitur prædicare non debent fabulas, ſed verba diuina, & hæc ſcire non poſſunt niſi legant; nec legere, niſi habeant ſcripta: planiſſimum eſt quòd de perfectione ſic eſt habere libros, ſicut eſt prædicare. Et ſicut non obſtat Ordinis paupertati, habere Miſſalia ad cantandum Miſſas, & Breuiaria ad Horas dicendas: ſic non obſtat ad Biblia, ad verba diuina prædicanda. Licet igitur libros habere: Sed nunquid Regula ſibi contraria eſt, quæ alibi mandat nihil habere? Abſit hoc ut in ea ſit contrarietas aliqua, ſicut nec falſitas, cùm tota de fonte Evangelij ſit extracta: ſicut mihi, qui parum noui, facile eſſet oſtendere. Dico ergo quod fratribus horum conceſſus eſt uſus, ſed vetatur appropriatio. Nam non dicit Regula, fratres nihil

hil habeant nec aliqua re utantur; quòd esset insanum: sed, quod nihil sibi appropriënt. Cui igitur horum proprietas assignabitur? Sic respondeo ego: quod, cujuscumque sit, non est mea, nec Ordinis, & hoc mihi sufficit ad meæ conscientiæ puritatem. Ne tamen hominibus fugam parare videar, dico harum rerum mobilium Gubernatori & Protectori Ordinis Cardinali potestatem, & auctoritatem, & prouidentiam à Domino Papa esse concessam; Sicut enim Dominus Papa ait: Nec vendi debent mobilia, vel extra Ordinem cōmutari, quoquomodo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit Ordinis Gubernator, super hoc auctoritatem præbuerit & assensum. Sed dicis: Numquid qui Biblia dant fratribus, intendunt ea dare Papæ aut Cardinali; Dico & ego: Numquid pater qui dat Biblia filio, intendit labefacere Ordinem filij, & filium suum facere filium Diaboli? Credo te dicere quòd non. Dat igitur filio, intendens quòd Ordinis paupertas sit penitus illibata, ac per hoc ut Ordo utatur, proprietas autem sit ejus, cujus decreuerit Pastor Ordinis & Ecclesiæ. At non credis, quod si pater

non possit filio librum dare, nisi per manum alicujus de quo præsumeret quòd non esset filij sui prædator, sed pastor; nonne daret; utique daret ut filio commodaret ad usum. Et in hoc melius prouisum est Ordini, domino faciente. Nam si librorum proprietas remaneret apud parentes, sic Ministri non possent auferre fratribus libros, & essent quasi perpetui ad vitam. Nunc autem Ordo nihil sibi appropriat in libris, dum Ministri libros nec vendere, nec alienare auctoritate propria possunt, nec fratres subditi possunt, dum frequenter resignant, & eis pro voluntate Ministrorum assignantur & auferuntur. Certus sum, quòd hæc est conscientia fratrum.

Ut autem nihil remaneat, audi de domibus: Dico domos non esse fratrum. Sed si de solo quæris; dico quòd dantium est & patronorum. Si de ædificiis; pari ratione ædificantium, vel eorum quorum est solum: quia cedit solo unius, si unus ædificat: vel plurium, si plures. Mentior etenim, si Dominus Papa dicit in Regulam, saluo locorum & domorum dominio illis ad quos noscitur pertinere: In loco in-

intelligens ſolum, in domibus ædificia ſuperaddita. Unde nec appropriamus nobis locum cum dicamus eſſe illorum qui dant impenſas vel cedunt ſolo. Nec etiam uſus appropriamus, niſi pro voluntate eorum qui fratribus concedunt prædicta. Certus ſum enim quod hæc eſt conſcientia fratrum. Non obſtat, ſi aliquando vidiſti contrarium, quod non credo; quia indiſcretio non ad omnes debet, nec ad ſingulos retorqueri. Si dicis nos tanquam aduenas & peregrinos debere ire de domo in domum: parcat illi Deus, qui primò hanc ſtultitiam cogitauit. Nonne B. Franciſcus ædificauit loca? Nunquid tanquam peregrinus ibat quotidie unam diætam? Nunquid B. Petrus, cum dicat in Canonica ſua, Obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos, Ep. 1. c. 2. voluit quod omnes tranſirent de domo in domum? Cum enim dicat Eccleſiaſticus c. 29. Vita nequam hoſpitari de domo in domum: tam Petrus quàm Franciſcus filiis & diſcipulis ſuis non ſanctam vitam, ſed nequam impoſuiſſent, ſi ſecundum prædictum intellectum nos ſimiles eſſe peregrinis mandarent. Sed hoc dictum intelligitur, ut non currat ſimilitudo quatuor pe-

dibus : ſed ut domos, in quibus habitamus, parum diligamus, nec proprias reputemus, ſicut peregrinus qui tranſit in Patriam, domum non diligit in via tanquam propriam, ſed utitur tanquam alienа. Qui aliter ſapit, ipſe ſua inſipientia manifeſtat, quod nihil omninò ſapit. Quomodo ergo poſſet eſſe regimen & ordo Prælatorum, qui ita diſtrictè manet in Ordine Beati Franciſci, ſi omnes eſſent inſtabiles & vagabundi per Orbem ? Hoc verò ſentit, qui nihil vidit de Ordine.

Veniam ad Laborem manuum, ubi taliter inſiſtis, utrum ſit conſilium vel præceptum. Ego autem dico non intendere beatum Franciſcum manualem laborem, nec conſulere, nec monere ; ſed ſuppoſita admonitione Apoſtoli, Epheſ. 4. fratribus nimis vel minùs ſolicitis ad laborem, dat formam laborandi. Quidem enim ſic intendebant labori manuali, ut necaretur in eis deuotio orationis. Quod quia periculoſum erat, cùm actiua debeat deſeruire contemplatiuæ ; dedit eis formam ſanctiſſimus Pater, ut ſic laborent, qui laborare vellent, ſcirent, & poſſent, ut ſanctæ orationis & deuotionis ſpiritum non extinguant.

guant. Hoc enim ſequitur in textu Regulæ immediatè. Unde attende quod non dicit, Præcipio vel conſulo fratribus quod laborent, ſed quibus dedit Dominus gratiam, quod non ſolùm includit potentiam, ſed voluntatem laborandi. Sicut ſi diceret: Fratres quibus dedit Dominus gratiam lacrymandi, lacrymentur ita modeſtè, quod oculos non amittant; non præciperet lacrymari: ſic nunc intelligit. Ipſe autem de labore manuum vim non faciebat, niſi propter otium declinandum: quia cum fuerit Regulæ Obſeruator perfectiſſimus, non credo quòd unquam lucratus fuerit de labore manuum duodecim denarios, vel eorum valorem; ſed fratres potiſſimè ad orationem monebat. Non enim volebat, quod illam extinguerent propter lucrum. Unde Provincialibus Miniſtris relinquitur, quòd non permittant fratres ſuos otioſos. Ego unà tecum, ſi qui tales ſunt, judico arguendos, & verberibus puniendos tanquam ſeruos malos & pigros. Non tamen propter hoc tibi diſpliceat, quia ſatis ibi inuenies copiam laborandi, tam in ſtudio veritatis, quam in exercitio humilitatis, pietatis, & cujuſli-

bet alterius virtutis: ut fratrum eleëmosynas quærere, coquinam facere, infirmis seruire, scutellas lauare, & in omnibus humilitatis exercitiis laborare: quæ dulciora fratribus sunt, quàm multa Officia dignitatis.

Sed quid dicemus de ascendentibus ad Cathedram cum Regula dicat, quod non curent nescientes literas, literas discere, &c. cum etiam Evangelium dicat, quod nolimus vocari magistri, Matth. 23. Dico ego quòd Regula non vetat studium literatis, sed illiteratis & laicis. Vult enim (juxta Apostolum. 1. Cor. 7.) quod unusquisque in ea vocatione, qua vocatus est permaneat, ut ad clericatum de laicatu nullus ascendat; nec vult quòd clerici fiant laici, studium recusando; alioquin ipse transgressor fuisset, qui cum paucas literas sciret, postmodum in literis profecit in Ordine; non solum orando, sed etiam legendo. Unde ut scias quantum ei placuerit studium sacræ Scripturæ, audiui ego à fratre, qui vidit, quòd cum Nouum Testamentum venisset ad manus ejus, & plures fratres non possent simul habere diuidebat per folia, & singulis communi-

ca-

cabat, ut omnes ſtuderent, nec unus alterum impediret. Clericos etiam quos recipiebat ad Ordinem, in ſumma reuerentia habebat; & in morte mandauit fratribus, ut Doctores ſacræ Scripturæ in ſumma reuerentia haberent, tanquam illos à quibus reciperent verba vitæ. Unde cùm nomen Doctoris veneraretur, intelligebat hoc Evangelium non vetuiſſe, alioquin Paulus Apoſtolus Euangelio contradiceret, qui ſe prima epiſtola ad Timotheum cap. 2. Magiſtrum gentium vocat, quòd majoris impudentiæ videtur, quàm ſi ab aliis vocaretur. Dico ergo, quòd ſecundum Evangelium, pompa hujus nominis condemnanda eſt, & nullatenus appetenda, ſed officium aſſumendum. Quos enim magis decet Evangelium docere, quam qui Evangelium profitentur & ſeruant? Nam cum dicat Evangelium Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum*: quis ſanæ mentis dicat ut Magiſter & Frater Alexander diues debuerit prædicare & docere, *Beati pauperes ſpiritu*, & pauper effectus debuerit reticere? Certè ſi fratres decet addiſcere & ruminare tanquam munda animalia verba

diuina, & sibiipsis sufficiunt in docendo quis tam stultus est, ut dicat quod doctrinam quam eos decet facere, & docere, debeant à non facientibus mendicare? Condemno igitur tecum in Magisterio pompam; sed commendo officium. Damno fratrem Minorem pomposum & dico eum Magisterio penitus indignum, sed commendo studiosum: credens, quod nulli magis quam tali competat auctoritas docendi Evangelium JEsu Christi.

Restat igitur, ut de philosophantibus aliquid subjungamus. Audi charissime, sicut in cæteris, sic & in hoc pariter concordemus. Fateor displicent tibi curiositates: displicent & mihi, displicent & fratribus bonis, & displicent Deo & Angelis ejus. Nec defendo circa scripta puerilia musitantes, sed detestor eos pariter tecum. Unde & tibi & mihi consulo, ut habeamus zelum secundum scientiam, ne detestemur plus quàm oportet. Fortassis enim inter peccata minuta & venialia computandum est. Vix enim grana absque paleis colligi possunt, & verba diuina sine verbis humanis. Hæc autem omnia separantur per zelum compunctionis & fletum

de-

deuotionis, quæ faciunt triticum veritatis à verborum paleis ſeparari. Et fortaſſe videntur aliqui curioſi, qui magis ſunt ſtudioſi. Si quis enim ſtuderet in dictis hæreticorum, ut eorum ſententias declinando magis intelligeret veritatem; nec curioſus nec hæreticus, ſed Catholicus eſſet. Cum verba Philoſophorum aliquando plus valent ad intelligentiam veritatis, & errorum confutationes, non deuiat à puritate in his aliquando ſtudens, maximè cum multæſint concluſiones fidei, quæ ſine his terminari non poſſunt. Unde ſi velimus nimis ſtrictè judicare, fortaſſe ipſos Sanctos (quod impium eſt) judicabimus curioſos. Nam nullus melius naturam temporis & materiæ deſcribit, quàm Auguſtinus, inquirendo & diſputando in lib. Confeſſionum. Nullus melius exitus formarum & propaginem rerum, quàm ipſe ſuper Geneſim ad literam. Nullus meliùs quæſtiones de anima & de Deo, quàm ipſe in lib. de Trinitate. Nullus meliùs naturam creationis mundi, quàm ipſe in libro de Ciuitate Dei. Et, ut breviter dicam, pauca aut nulla ponunt Magiſtri in libris ſuis, quin illa reperias in libris Auguſtini.

Lege Augustinum de doct. Christ. lib. 2. cap. 11. 18. 26. 30. & aliquot aliis, ubi ostendit, quomodo non potest intelligi Sacra Scriptura sine aliarum scientiarum peritia. Ostendit etiam cap. 40. quòd sicut filij Israël asportauerunt vasa Ægypti; sic Doctores Theologiæ doctrinam philosophiæ. Unde multa quæ non didicimus per Philosophos, & de dictis Philosophiæ, discimus per Sanctos: ac per hoc non debet tibi esse mirum, si minus fundati intrantes, fiant in scientia in Ordine fundatiores.

Sed esto, quod ista sint repræhensibilia & purganda, non propter hoc retraharis, quia nullus ad hoc compellitur; sed is magis amatur, qui magis est talium aspernator: nec Prælati talia præcipiunt, sed permittunt: nec propter tres vel quatuor vitiosos, debet Magister contemnere innocentes. Et si aliqui abundent libris ad tempus, aliis plerisque multò plus indigentibus poterunt dispensari, cùm multò plures egeant, quàm abundent. Nec te moueat quod fratres fuerunt in principio simplices & illiterati: immò magis debet hoc in te fidem Ordinis confirmare.

Fa-

Fateor coram Deo, quòd hoc est quod me fecit vitam beati, Francisci eligere, quòd non fuit per hominum prudentiam inuenta, sed per Christum: & quia opera Christi non deficiunt, ostenditur hoc opus fuisse divinum, dum ad consortium virorum simplicium, etiam sapientes non sunt dedignati descendere, attendentes illud Apostoli: Si quis inter vos sapiens, stultus fiat ut sit sapiens. (1. *Cor.* 3.)

Rogo charissime, ut non nimis abundes in sensu tuo, nec credas te prudentiorem, nec meliorem omnibus, quos Deus ad statum istum vocauit: & si vocauerit te non recuses. Vale in Domino.

# APPENDIX PRIMA.

## EPISTOLA MISSA A S. BERNARDINO SENENSI,

Ad omnes subditos sibi commissos dum esset VICARIUS GENERALIS Ultramontanus.

In Christo sibi charissimis fratribus omnibus locorum deuotorum Ordinis Minorum totius Italiæ sub mea cura commissis,

ſis, Frater Bernardin. de Senis, ejuſdem Ordinis, ac dictorum locorum Reverendiſſimi Patris Miniſtri Generalis Vicarius & Commiſſarius, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

Volens mihi commiſſorum ſaluti, quoad ſpeculationem veritatis, & in omnibus juxta poſſibilitatem prouidere, notum ſit quatenus per Fratrem Nicolaum de Auſino, ejuſdem Ordinis, ac etiam Vicarium locorum deuotorum Prouiuciæ S. Angeli & nunc & tunc eorundem locorum Commiſſarium præfati Reverendiſſimi Patris Generalis de mandato ejuſdem, ac de voluntate Domini noſtri Papæ, ut patet per literas Reverendiſſimi Patris Generalis, factæ fuerunt Declarationes quædam multa diſputatione, & examinatione, & ponderoſitate examinatæ & approbatæ per Reverendiſſimum Patrem Generalem Miniſtrum, per Venerandum Patrem Fratrem Joannem Capiſtranum, & alios multos ac etiam per me, quæ ſunt hujuſmodi, videlicet.

In primis, quòd fratres Minores ex ſua Profeſſione non tenentur ad Conſilia ſeu

ſeu Præcepta Evangelica, ultra alios Chriſtianos, præterquam ad illa quæ in illa Regula ponuntur, præcipiendo vel inhibendo, vel ſub æquipollentibus verbis, nominatim à Clemen. V. in ſua Declaratione expreſſis, ut patet in primo articulo dictæ Declarationis Clementis, & Declaratione Nicolai III. & Martini V. Et propterea fratres non tenentur ad illud Evangelicum: Nil tuleritis in via, (Luc. 9.)

Secundò, Quòd fratres ex ſua Profeſſione non tenentur ad alium arctum uſum rerum, quàm in Regula particulariter exprimitur, & eo modo quo exprimitur, ut vilibus indui, & certum numerum tunicarum habere, ut etiam calceamentis non uti ſine neceſſitate, &c. Ut ſatis patet per Clementem in ſua declarat. §. ex præmiſſis. Quinimo, ut claret ex Declaratione Nicolai III. §. porro Secundum Regulam & omnimodam veritatem, Moderatus uſus rerum ad eorum ſuſtentationem, & Officiorum ſui ſtatus executionem (præterquam de pecunia) conceſſus eſt fratribus.

Tertiò, ſuperfluitates ſeu Curioſitates non debent diſcerni reſpectu neceſſitatis arctæ,

ctæ, seu usus arcti, quo ad statum fratrum Minorum sed moderati: cum usus moderatus non possit dici superfluus vel curiosus, & per consequens nec vitiosus; imò secundum Regulam & omnem veritatem omninò licitus, ut patet ex præ allegato dicto Nicolai III. Et quia moderatio usus attendi debet secundum qualitatem personarum, & varietatem temporum, & locorum conditiones, & alias occurrentes circumstantias: Superfluitas vel curiositas non potest faciliter discerni. Propterea per subditos non potest nec debet judicari: sed per Ministros & Custodes, vel eos quibus ab ipsis committitur, qui de talibus secundum eorum conscientias debent discretè judicare & disponere; ut patet in Declaration. Nicolai III. §. Insuper & §. Quamquam.

Quartò, Quod si in locis fratrum sit magna superfluitas vel Curiositas, ex eis non vitiantur fratres nisi solum consentientes vel inducentes, vel si ad eorum officium pertinet ut possint vel quicumque alij, si commodè possint, legitimè non resistentes, & non alii qui dictis rebus, utuntur

tur ob aliquam necessitatem, vel scandali euitationem. Et propterea Clemens V. licet decreuerit ædificia nimis sumptuosa non conuenire statui fratrum Minorum, tamen præcepit sub pœna Excommunicationis; quod dicta loca fratres non relinquerent absque Sedis Apostolicæ licentia speciali. Et excedentia superfluitatis & curiositatis non est sufficiens causa; propter quam fratres debeant recedere à loco nisi fuerit de illis aliquid propter quod Regula non possit spiritualiter obseruari, secundnm Declarationem Martini V. videlicet quando loco est annexa proprietas, seu cura animarum, baptizando, seu alia parochialia agendo: vel si morentur fratres in loco contra voluntatem domini loci: vel quando propter penuriam rerum necessariarum oportet facere congregationes, & quæstus inhonestos, contra puritatem Regulæ, & usum generalem, Ordinis: vel propter inhonestam societatem, seu importabilem fratribus, præsertim rudibus & infirmis: vel propter similia. Quid sit simile, cum sit indeterminatum, relinquitur iudicio Prælatorum. Ext. de offic. & potestate Judic. delegati, cap. de causis §. illis.

Quintò,

Quintò, Quod in Regula usus carnium in loco, vel alibi, fratribus non prohibetur, sed non liceat, nisi moderatus & discretus.

Sextò, Quod in Calicibus & patenis argenteis, dum non nimiæ & excessiuæ magnitudinis & preciositatis sint, non repugnat Regulæ, imò satis conuenit, quod possint haberi ad euitandam immunditiam, & alia pericula circa sanctissimam Eucharistiam.

Septimò, Quod in omnibus dubiis quæ non possint indubitanter declarari, subditi tenentur stare iudicio Prælatorum suorum, & obedire. 23. q. 1. c. *Quid culpatur*. Et propterea agentes contrarium, sunt transgressores Obedientiæ, & dignè à Superioribus censura Ecclesiastica, aut alia decenti pæna castigantur.

Has ergo Declarationes Reverendiss. Pater Minister Generalis confirmauit in huncmodum.

*Supradictas declarationes & determinationes, per Præfatum Vicarium & Commissarium meum fratrem Nicolaum de Ausino factas &* de-

*definitas, tanquam veras & Catholicas, ac Declarationibus summorum Pontificum conformes, nostrisque sacris Institutis consentaneas, approbo, & de multorum Venerabilium Patrum consilio confirmo.*

Et ego frater Bernardinus omnes præfatas Declarationes & Determinationes, per prædictum Vicarium & Commissarium fratrem Nicolaum de Ausino factas tanquam veras & Catholicas, & summorum Pontificum Declarationibus conformes, nostrique Ordinis Institutis consentaneas approbo, & confirmo, mandans quibuscumque fratribus sub mea cura commissis, ut his quieti esse debeant, nec aliud innouare præsumant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, atque sub pœna carceris, quam sententiam, præmissa trina admonitione Canonica, omnes supradicti transgressores incurrant ipso facto.

Item mando omnibus Prælatis mihi commissis, ut præfatas Declarationes eorum subditis integraliter & sæpe per sanctam Obedientiam publicare debeant, ne periculosam incurrant ignorantiam.

Valete in Christu JEsu, & orate pro me.

*Apud S. Damianum de Assisio, Anno ab Incarnatione Domini 1440. die Julij ultima.*

Subscriptio Cardinalis, Commissarii summi Pontificis Eugenij quarti, qui ex Commissione ejusdem D. Papæ prædictas Declarationes examinauit.

Ego JULIANUS, *tituli sanctæ Sabinæ Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis sancti Angeli vulgariter nuncupatus: vidi, discussi, & examinavi prædictas Declarationes, & ipsas secundùm veritatem, & juridicè ac rationabiliter factas esse existimo: eisque tanquam veris, juridicis, & rationabilibus, fratres cunctos Ordinis Minorum obedire & acquiescere debere. Et ubi dicitur superiùs de Calicibus & patenis argenteis: idem puto in superficialiter deauratis; cùm non sit propterea nimia pretiositas, aut superfluitas, seu curiositas.*

Ad fidem horum, propria manu, tanquam Juris utriusque Doctor, subscripsi, & proprio annulo sigillaui, Florentiæ die XXVII. Septembris. Anno M. CCCC. XI.

Addunt Sixtus quartus & Leo decimus, etiam paramentis aureis & argenteis quomodocumque jam procuratis, absque pro-

professionis suæ macula licitè fratres uti posse: modò deinceps excessiua non acquirant.

Ex tractatu ejusdem S. Bernardini, cui titulus: Qui habendi Proprietarij.

Violant Votum & proprietarij sunt. 1. Qui rem quacumque, aut à quocumque donatam, Prælato in fraudem celant; vel cum præcipit ut reddatur, vel alteri concedatur aut detur, non statim reddunt.

2. Qui usum rerum Communitatis in proprium usum commutant, aut aliis dant, sine licentia Prælatorum.

3. Qui abscondunt clauem ne Prælatus quicquam tollat, aut aliud disponat: Et si quid tollitur, turbantur & murmurant.

4. Qui deliberatè eo sunt animo, ut si quid tolleretur aut repeteretur, non statim acquiescerent.

5. Item peccant in votum, Qui Missam celebrant pecunia, quando fratres tunc pro tempore præsenti, vel de proximo imminenti non habent necesse recurrere ad amicum spiritualem, ut aliquid soluatur aut ematur. ( *Ubi poterunt fratres ex laboritio corporali vel spirituali necessaria corporis ha-*

*bere, ab importuna mendicatione debent abstinere, quia secundùm Regulam primùm ex labore; deinde ex mendicatione, quando non daretur pretium laboris; demum ex liberè oblatis propter Deum, viuere monemur.* Constitut. Jul. 2. cap. 6. part. 18. *Sustentari etiam licitè poterunt fratres his quæ pro Missis conferuntur tanquam ex eleemosynis, aut liberè oblatis.* Jul. 2. cap. 6. part. 19.

6. Qui eleëmosynam pro necessitate depositam aut datam nolunt expendere, sed per modum prouidentiæ in futurum, aut thesaurizationis, reseruant: quærentes interim alia.

7. Qui rem habitam reseruant superfluè, aut reponunt, nolentes uti, ne destruatur, & ut in futuro sibi non deficiat.

8. Qui pecuniam à dantibus in dando specialiter ad certos usus deputatam, commutari faciunt in alios usus, sua auctoritate, contra expressam voluntatem donantium. (*Præsumpta tamen voluntate & beneplacito talium donantium, & eis non contradicentibus, ac piè & non in fraudem, à nunciis dantium, vel Procuratoribus Papæ, id fieri posse declaramus.* Const. Jul. 2. cap. 4. part. 1.)

9. Qui

9. Qui ea quæ ab obſequium mortuorum dantur, vel ſimilia, vendunt, aut in aliud commutant ſuo nomine & auctoritate, præter voluntatem & auctoritatem Procuratorum Papæ aut dantium. ( *Per Procuratorem tamen Papæ, nomine Sedis Apoſtolicæ aut dantium, licitè, purè, & ſine ulla diſpenſatione, etiam ſecundùm Declarationes ſummorum Pontificum, vendi, & in res fratribus licitas commutari poſſunt.* Conſtitut. Jul. 2. c. 4. part. 2. & 7. & cap. 6. part. 24. )

*Deut.* 23.

Si votum voueris, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus. Et ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

*S. Hieron. Epiſt. ad Ruſt. Mon.*

Durum, grande, difficile: ſed magna ſunt prœmia.



# APPENDIX ALTERA.

## EXTRACTUS DECRETI SACRI CONCILII CONSTANTIENSIS,

Quo primum Fratres ſtrictioris Obſervantiæ à Fratribus Conventualibus ſeperati fuerunt.

Sacroſancta & generalis Synodus Conſtantienſis Dilectis Eccleſiæ filiis Generali cæteriſque Ordinis Minorum profeſſoribus ſalutem & DEI omnipotentis benedictionem. Supplicationibus perſonarum quæ voto Religionis ſunt aſtrictæ, illis præſertim annuimus, quas ad finem tendere conſpicimus, per quem perſonæ ipſæ ſub placida juxta ſuam profeſſionem tranquillitate quieſcant, ac ſedulum in humilitatis ſpiritu reddere Domino valeant famulatum. Nuper ſiquidem ſupplicatio pro partè religioſorum virorum, Guardianonrum, & fratrum veſtri Ordinis conuentuum &c. infrà Prouincias Franciæ, Burgundiæ, & Turoniæ exiſtentium nobis humiliter præſentata continebat quod diuina cooperante Clementia temporibus his nouiſſimis regularis Obſeruantia veſtri jam dicti Ordinis

nis in præfatis conuentibus inceperat jam vigere; ſed variis obſtantibus impedimentis per Miniſtros, & Cuſtodes illarum Prouinciarum eis præſtitis in ipſa ſtricta Obſeruantia non mediocriter impediebantur; quorum impediementorum occaſione ſcandala multa pullulabant humilliter deuote ſupplicantes, quatenus eis de remedio opporturno prouidere dignaremur. Nos igitur eorum ſupplicationi tamquam juſtæ benignè annuentes, cupientes ſcandala quæque de medio veſtri Ordinis tollere atque in ea unitate conſeruata fratres in pacis dulcedine confouere: ſtatuimus & decernimus, eiſdem ſupplicationibus eſſe prouidendum, & de facto tenore præſentium eis prouidemus &c. videlicet quod fratres prædictorum Conuentuum de cætero & quouſque aliud ſuper hæc per ſacrum generale Concilium fuerit ordinatum, poſſint & valeant quilibet in ſua Prouincia eligere de prædicta ſua ſtricta obſeruantia unum fratrem idoneum, quem in ſcriptis miniſtro illius prouinciæ præſentatum, ipſum dictus Miniſter Prouincialis infra triduum poſt hujuſmodi præſentationem ſuum vicarium con ſtituere debeat ad ipſos regen-

dos in ſolido loco & vice ejus & eis prouidendum in omnibus quibuſcumque & ipſis modis quibus ipſe prouincialis prouidere poſſit; ita quod de ipſorum fratrum regimine in nullo poſſint ſe intromittere dicti Prouinciales vel Cuſtodes. Sed ad ipſos vicarios cura & correctio eorum omnino pertineat. &c. Inſuper poſſit & debeat Generalis Vicarius Conuentus ſibi ſubjectos ad ſtatum dictæ ſtrictæ obſeruantiæ conſonum juxta declarationes & ſtatuta Sedis apoſtolicæ & Ordinis reducere, tollendo quaſque ſuperfluitates auctoritate hujus ſacri Concilij ſiue ſint in rebus mobilibus vel immobilibus; quantum fieri poterit bono modo, habito ſemper conſilio majorum & diſcretorum ſibi obedientium, eligendo ſi opus eſt aliquos fideles qui ipſas ſuperfluitates auctoritate hujus ſacri Concilij vendant, commutent, aut aliàs piis operibus conuertant. &c. Statuimus ulterius ne deinceps fratres hujuſmodi ſtrictæ Obſeruantiæ fiant Capellani vel maneant continuè in domibus ſæcularium cauſâ confeſſionis audiendæ vel aliàs. &c. Datum & actum Conſtantiæ in Eccleſia Cathedra-

drali in sessione nostra publica, nono Calendas Octobris Anno à Natiuitate Domini millesimo, quadringentesimo quinto decimo, Apostolica Sede vacante.



# PARS TERTIA.

## EXHIBENS

## Utillissima quæpiam documenta:

Compendium cumprimis Commentarii Patris Petri Marchant in Regulam Fratrum Minorum, Extractum dein Summarium ex Declarationibus summorum Pontificum NICOLAI III. ET CLEMENTIS V. ac denique pro ipsa praxi, Schema quodpiam devotionarium pietatis Religiosæ, res meras Fratri Minori apprimè utiles.

## COMPENDIUM MARCHANTII.

### Titulus Primus Prooemialis de Nomine, & Regula Fratrum Minorum.

### *QUÆSTIO I.*

Qui dicendi sint veri Fratres Minores? *Responsio*: Fratres Minores illi soli simpliciter dicendi sunt, qui Regulam Fratrum Minorum in sua puritate voverunt, & observant. Hinc, cum Fratres Conventuales ( qui in his partibus accito vocabulo *Minoritæ* vocantur ) non simpliciter Regulam Fratrum Minorum, sed ut privile-

vilegiis relaxatam, ac in multis dispensatam voveant, & observent, est, quod etiam simpliciter, & sinè adjecto Fratres Minores dici haud possint; benè verò Observantini, Recollecti, Discalceati, ac Capucini etiam, quia Regulam S. Francisci, prout Franciscani ad Literam profitentur, *quamvis tempore S. Francisci minimè instituti fuerint*, ut fassus est Paulus V. de solo proinde nomine, ac modalibus dumtaxat discriminibus, vanæ, ac contemnendæ sunt altercationes, cum certum sit, quod LEO X. in Bulla, quæ incipit: *Ite, & vos* &c. & in Bulla *Licet* &c. Nomen Fratrum Minorum simpliciter attribuerit *Observantibus*, neque rationabiliter perfectior compellatio desiderari queat, quam sit: *Regularis Observantiæ.*

## *QUÆSTIO II.*

Ad quam Regulam Fratres Minores teneantur? *Responsio*: Ad Regulam duodecim capitulis præcisè comprehensam, & à Domino Papa HONORIO III. Annô 1223. confirmatam. Hanc enim solam. Regulam Fratres Primi Ordinis à S. Francisco instituti, & voverunt semper, & hodie ad-

adhuc conſtanter vovent, hæc unica in uſum, & vigorem eſt in Eccleſia deducta ex Pontificum decretis, & hæc communiter vocatur *Prima Regula*. Ut adeo conſtet, quàm inſipienter, & ex principiorum ignorantia loquantur, qui aliquos Fratres Minores primæ Regulæ, alios ſecundæ Regulæ nuncupant; ſecunda namque Regula data fuit S. Claræ, ſeu ſecundo ordini. Sicut tertia Regula tertii Ordinis eſt, ſeu Fratrum, & Sororum de pœnitentia.

## *QUÆSTIO III.*

Quanta ſit perfectio, hujus Fratrum Minorum Regulæ? *Reſponſio*: Cuilibet Religioni ſua ſit perfectio, ſuuſque honor; quô tamen haud obſtante, ſimplici veritatis affectu tenendum: Regulam Fratrum Minorum perfectiſſimam eſſe. *Primò* ab excellentia Auctoris, utpote à Chriſto Domino dictata Sancto Patri Franciſco. *Secundò*, quia in ſeſe continet totam Medullam Evangelii, & Evangelicæ, ac Apoſtolicæ perfectionis: nec non *tertio*: quia in ſummo gradu vota eſſentialia Religionis complectitur, *Paupertatem* videlicet *altiſſi-*

*tissimam. Obedientiam latissimam, profundissimamque, & Castitatem fulgentissimam.*

## QUÆSTIO IV.

Quæ sint hujus Regulæ Obligationes? *Responsio*: Præter tria vota essentialia, sunt viginti quinque obligatoria Regulæ ad peccatum mortale, nimirum: *Septem præcepta formalia. Duo inhibitoria. Quatuor habentia vim præcepti, & duodecim æquipollentia præceptis.* Noscunturque & ex vi verbi, quod præceptum, & obligationem sonat, ut cum verbum *Teneantur* appositum est, & ex vi materiæ, utpote quod votorum principalium, vel præceptorum formalium Observantiam contingat, ac ex utroque simul juncto, ubi scilicet, & materia gravior est, & verbum obligationem sonans.

## QUÆSTIO V.

An ignorantia obligationum Regulæ post votum excusare possit? *Responsio*: Nullus Frater excusatur ab obligationibus Regulæ ob quancumque ignorantiam obligationum ejus, seu crassa, & supina sit, aut simpliciter tantum affectata, sed vinci-

cibi-

cibilis tamen, ſeu denique etiam quacunque probabilitate invincibilis, cùm quisque jam ex eo, quod vovere voluerit Regulam, & ſtatum Fratrum Minorum, convincatur voluiſſe vovere obligationes ſtatûs, & Regulæ, eſto ſibi tunc in ſpeciali fors nondum cognitas, ſicque in hoc puncto impoſſibilis evadat allegatio, veræ *invincibilis ignorantiæ.* Libri proinde ſunt de ſtatu ſuo legendi; cum ignorantia ſtatûs ſit turpiſſima.

## *QUÆSTIO VI.*

An aliæ obligationes præter contentas in Regula eodem modo cogant? *Reſponſio*: Non cogunt ſub mortali peccato: unde nec ad teſtamentum S. Franciſci, necque ad Declarationes ſummorum Pontificum Fratres obligantur, niſi in iis, quæ cum Regulæ obligationibus communia habent; quapropter prout Teſtamentum Regulæ declaratio eſt ab ipſo Sancto fundatore facta, ita tenendum eſt, non verò tamquam alia Regula.

*QUÆ-*

## QUÆSTIO VII.

An ſit aliquod privilegium Pontificium in vigore, quod aliquod Regulæ præceptum relaxet, aut diſpenſet? *Reſponſio*: Fuerunt olim plurima, quamvis nunquam à toto Ordinis corpore ſeu petita, ſeu recepta; Noviſſimè verò omnia prorſus ejusmodi privilegia & diſpenſationes revocavit URBANUS VIII. Annô Domini 1625. tertiô Pontificatûs ſui Annô; ut adeo, jam omnes veri Fratres Minores Regulam in puritate ſua juxta Declarationes NICOLAI III. & CLEMtENTIS V. indiſpenſabiliter ſervare teneantur, niſi ſpe ſalutis excidere malint.

## QUÆSTIO VIII.

An Regula ab aliquibus ſtrictiùs, & ab aliquibus minùs ſtrictè obſervari poſſit? *Reſponſio*: Intra eandem obſervantiam eſſentialem Regulæ, alii poſſunt Regulam obſervare ſtrictiùs, & alii minus ſtrictè, ita ut utrique obſervatores ſint, & neutri transgreſſores: Nam ſicut obſervantia mandatorum Dei, & Sanctiſſimarum virtutum praxis non conſiſtit in indiviſibili, ſed ſuos gradus habere dignoſcitur, ita quoque execu-

cutio votorum & Regulæ cujuslibet Observantia suam latitudinem habet. Quapropter à judiciis temerariis cavendum, cum modus observantiæ unius, non possit perinde omnibus aptari.

## TITULUS
### Secundus Procemialis de Expositione Regulæ S. FRANCISCI.

### *QUÆSTIO I.*

An possint fieri expositiones in Regulam? *Responsio* : Non possunt per modum Glossæ, & strictè sumpti commenti ; possunt tamen legitimè tales expositiones fieri, per quas simpliciter verborum Regulæ sensus, & pura fundatoris Regulæ intentio declaretur. Christus enim primarius Regulæ dictator è nube Ministris loquens, voluit hanc Regulam observari, *ad Litteram, ad Litteram, ad Litteram; sine Glossa, sine Glossa, sine Glossa.* Quodsi tamen quispiam Glossam mitteret in Regulam, neutiquam propterea lethalem culpam incurreret, cum prohibitio Glossæ duntaxat ex Testamento sit, ad Testamentum verò Fratres sub lethali culpa haud obli-

gen-

gentur; vereri tamen oportet Christum commonentem.

## QUÆSTIO II.

Quæ censenda sit vera Expositio ad Litteram? *Responsio*: Illa, quæ ita verborum, & dictionum significationem attendit, ut à Legislatoris, & Regulæ datoris intentione non recedat, sed potissimum eam includat. *Anima enim Legis, est intentio Legislatoris.*

## QUÆSTIO III.

Quotuplex sit sensus Litteralis Regulæ Fratrum Minorum? *Responsio.* Triplex: *Quidditativus*, qui indicat significationem secundùm intentionem Auctoris. *Qualificativus*, qui innuit, qualiter, seu quibus modis intentio Auctoris observari debeat, & *Quantitativus*, qui docet quantitatem obligationis.

## QUÆSTIO IV.

Quis Regulam Fratrum Minorum exponere possit? *Responsio*: Duo tantùm expositione convincente, & in conscientia obligante possunt eam exponere, S. Fran-

ciscus nempe, ceu Fundator, & Dominus Papa, sive Concilium, tamquam Approbator. Omnes proinde cæterorum expositiones, duntaxat sub opinionem cadunt, cui assentiri nemo tenetur. Ministrorum nihilominus Generalium in dubiis decisiones, quamvis *ratione Interpretationis* non obligent, obligant tamen potissimùm in vi præcepti, seu statuti: quamquam & *Interpretationes* ipsorum revereri conveniat; quia piè præsumendum est, in tanto superiorum cœtu, peculiarem adesse Spiritûs Sancti assistentiam, & Beati Fundatoris.

## IN CAPUT PRIMUM REGULÆ.

### *QUÆSTIO I.*

An ad omnia in Evangelio contenta ex vi voti teneantur Fratres Minores? *Responsio*: Non tenentur ad omnia sub peccato, sed tantùm ad ea, quæ in Regula sub verbis obligatoriis ponuntur.

### *QUÆSTIO II.*

An speciali voto Fratres obligentur obedire summo Pontifici? *Responsio*: Fratres Minores super communem obedientiam, quâ Christiani omnes, cunctique

alii

alii Religiosi stringuntur ; tenentur speciali voto obedire canonicè electo summo Pontifici, aut sede vacante, Ecclesiæ Romanæ.

## QUÆSTIO III.

Quis Sancti Patris Francisci Successor sit dicendus? *Responsio*: Verus Sancti Francisci in officio Generalatûs successor, simpliciter solus, & unicus est Generalis Minister, qui Fratres Minores Regularis Observantiæ cum omnibus suis Congregationibus Reformatis gubernat. Hic quippe solus à Sanctissimo Patre nostro Francisco per rectam lineam descendit, & titulum Ministri Generalis TOTIUS ORDINIS, nec non sigillum ejus antiqvum, seu Originarium legitimè usurpat. Series porrò successionis Ministrorum Generalium, in ipso expositore, qui compendiatur, videri poterit.

## QUÆSTIO IV.

Quâ ratione continua, seu non interrupta successio Ministrorum Generalium deducatur? *Responsio*: Esto à Concilio Constantiensi *An.* 1415. Fratres de Familia, qui & nunc de Observantia sunt Re-

gulari, ob diversas Reformationes, per Vicarios Generales gubernati fuerint, usque ad annum 1517. quô eorum Vicarius Fr. Christophorus de Forlivio electus est Generalis Totius Ordinis sub Leone X. id tamen nullam interruptionem arguit, cum ejusmodi Vicarii Generales, ipsis Ministris Generalibus constanter subfuerint, ab illis & petentes confirmationem, & auctoritatem, jurisdictionemque participantes, eó planè modo, quo nunc auctoritas est Commissariorum Generalium Familiæ, quæ nullam prorsus divisionem à capite dicit, etsi in subditos & ordinaria, & plena sit.

## QUÆSTIO V.

An à Generali Ministro Totius Ordinis, cunctæ Congregationes Ordinis adhucdum dependeant? *Responsio*: Omnes præter Conventuales, & Capucinos. Hi enim quemadmodum separata Corpora in Ordine S. Francisci concessione Apostolica constituunt, ita diversa sortiuntur capita. Et Patrum quidem Capucinorum caput Vicarii Generalis, Conventualium verò Magistri Generalis titulô comprehenditur.

CA-

## CAPUT SECUNDUM.

### De conditione, ac admiſſione Novitiorum.

### QUÆSTIO I.

Utrum omnes petentes ad ordinem admitti debeant, ac mitti ad Miniſtros? *Reſponſio*: Sicut Fratres nec poſſunt, nec debent impedire idoneas perſonas, ita non tenentur ad Miniſtros mittere, de quarum inhabilitate, & evidenti impedimento certò conſtaret: ubi enim ceſſat ratiò finis, ceſſat & ratio operandi propter finem.

### QUÆSTIO II.

An ſoli Miniſtri Provinciales poſſint recipere venientes ad ordinem? *Reſponſio*: Ex vi Regulæ ordinaria poteſtas recipiendi fratres eſt penes ſolos Miniſtros Provinciales, quam tamen aliis delegare poſſunt, niſi conſuetudine loci, aut ſtatutis in contrarium facientibus, prohibeantur, per quod tamen non excluduntur Miniſtri Generales, qui eminenter totam poteſtatem Provincialium continent.

### QUÆSTIO III.

An Miniſtri teneantur omnes de fide Catholica examinare? *Reſponſio*: Non tenentur niſi aliquod ſubſit dubium, eo

quod patria, aut genus venientis esset aliqua labe infectum.

## QUÆSTIO IV.

Quæ sint conditiones requisitæ ex parte Regulæ ad ingressum Religionis? *Responsio*: Tres sequentes: *Prima*, ut qui petit hanc vitam, sit fidelis, & Catholicus. *Secunda*, ut qui ingreditur uxorem non habeat, vel si habet, obtineat authoritate Diæcesani Episcopi, licentiam ab uxore Religionem prius ingrediente, vel perpetuæ continentiæ votum emittente: ita tamen, ut uxor sit talis ætatis, ne de ea oriri possit suspicio. *Tertia* denique ut omnibus, temporalibus bonis renunciet, dando ea pauperibus, si possit, vel ad hoc promptam saltem voluntatem habendo, si non possit.

## QUÆSTIO V.

An ejusmodi licentia uxoris indispensabiliter requiratur? *Responsio*: Omnino indispensabiliter: unde licet casus interveniat dirimens matrimonii vinculum juxta jus Commune; tamen ex parte Regulæ necessarius est consensus uxoris, ut maritus in ordinem cooptari valeat.

*QUÆ-*

## *QUÆSTIO VI.*

An uxor ſic conſentiens neceſſario teneatur intrare Religionem, aut Continentiæ votum emittere? *Reſponſio*: Tenetur alterutrum neceſſario: Nam ſecus maritus non eſſet ſecurus de ſtatu ſuo; niſi enim mulier conſenſum marito impertitum, voto, aut juramentò firmet, liberum ſibi relinquitur ex cauſis legitimis dictum conſenſum revocare, & vir teneretur ad ipſam redire.

## *QUÆSTIO* VII.

Quæ ætas requiritur in uxoribus: *Reſponſio*: Talis ætas ex S. Bonaventura non annorum numero, ſed morum gravitate æſtimanda eſt, cum talis duntaxat ætas requiratur, quæ ex ſtabilitate virtutis, ſuſpicionem incontinentiæ enervet.

## *QUÆSTIO* VIII.

Quid ſi ubi uxor vovit continentiam, vir in Novitiatu non perſeveret? *Reſponſio*: In tali caſu ceſſaret obligatio voti, quia præſumeretur per uxorem conditionaliter nuncupatum.

## QUÆSTIO IX.

Quomodo Novitio abdicanda sint bona temporalia? *Responsio*: His tribus observatis. *Primò*: Ut Novitius omnibus prorsus bonis temporalibus renunciet, nihil omnino sibi, suæve dispositioni retinendo, tam directè, quam indirectè. *Secundò*, ut dicta renunciatio, quantùm commode, & rationabiliter fieri potest, fiat per venditionem bonorum, ac eorundem in pauperes liberalem elargitionem, nec non *tertiò*: ut hæc obligatio eis à superioribus intimetur, per verbum Sancti Evangelij, quod *vadant*, *& vendant omnia sua &c.*

## QUÆSTIO X.

Qua ratione nondum Professos præceptum istud liget? *Responsio*: Non simpliciter, & absolutè, sed cum conditione, si nimirum professionem in Ordine emittere constituant.

## QUÆSTIO XI.

Quando istiusmodi renunciatio fieri debeat? *Responsio*: Nulla potest fieri renunciatio bonorum etiam in favorem cujuscumque piæ causæ à Novitio, nisi post habitûs probationis susceptionem, & nisi

in-

infra duos menses immediatè professionem antecedentes, quæ nihilominus sic facta, nullam vim habet, nisi professione secuta.

## QUÆSTIO XII.

An cuilibet venienti ad ordinem dicendum sit verbum istud S. Evangelii? *Responsio*: iis solum, qui liberè possunt vendere bona sua, & dare pauperibus. Tunc verò Novitius censetur non posse bona sua dare pauperibus, quando rationabilis causa in contrarium suppetit: utpote si vel loci distantia obstet, & lites, odia, & scandala inter propinquos ex ejusmodi distributione oriunda præviderentur. Ægestas insuper parentum, & status eorundem conservatio permovere Novitium possunt, ut juxta mensuram necessitatis subsidium parentibus ferat: modò tamen solo carnali affectu erga parentes non feratur, nec ultra conditionem eorum.

## QUÆSTIO XIII.

Qui abusus in hoc puncto potissimùm sint possibiles? *Responsio*: Licet plurimi sint possibiles, potissimùm tamen isti: si sub titulo studiorum, pensiones nonnullas sibi Novitii reservare velint, post pro-

fessionem eisdem usuri. Si parentibus, & propinquis relinquant sua veluti sub onere, quod de illis postea subministrabunt sibi sive ad usus necessarios; sive ad recreationes: Denique si ad hæredes suos per viam mendicationis recurrentes qualecumque jus prætendant.

## *QUÆSTIO XIV.*

Quæ sollicitudo prohibeatur Fratribus, & eorum Ministris, circa res temporales Novitiorum? *Responsio*: Omnis prorsus solicitudo, omnis inductio, postulatio omnis, omnis denique actio præjudicans quoquo modo, aut præjudicare potens, sive directè, sivè indirectè libertati Novitii, quantum ad dispositionem bonorum suorum.

## *QUÆSTIO XV.*

An tamen liceat liberè oblata à Novitio recipere? *Responsio*: Licet, sed cum summo moderamine. Imò determinato ex proprio motu Novitio ad subveniendum Conventûs necessitatibus, licitum est unam præ aliis suadere: cum per hoc libertati Novitii nihil præjudicetur: Similiter determinato Novitio ad distribuendum bona

sua

ſua pauperibus, cæterùm verò adhuc indifferenti in quos elargiatur, poſſunt Fratres ex Charitate offere, ac commendare quoſdam verè, aut magis pauperes.

## *QUÆSTIO* XVI.

Quæ obſervanda ſi conſulens Novitius, mittatur ad aliquos DEUM timentes? *Reſponſio* : Tria hæc potiſſimum : *Primò* ût perſona ad quam mittitur, ſit alterius ſtatûs, & non Fratrer Ordinis. *Secundò*, ut ſis vir timens Deum, qui nulla cupiditate inclinatus, ſecundùm Deum conſulat : ac *Tertiò*, ut non ſit Fratrum conſanguineus, vel Syndicus, vel ſimilis conditionis; quia tales ex affectu, rem Fratrum promovere viderentur. Hinc planè Fratribus etiam illicitum eſt, Conſultori prius neceſſitates ſuas exponere.

## *QUÆSTIO* XVII.

Ad quem pertineat veſtium diſpoſitio, quas Novitius de ſæculo attulit? *Reſponſio* : Deteſtandi cenſentur illi Novitii, qui præponderante ad amicos carnali affectu, ejuſmodi planè veſtes pauperibus ſubducunt; Libertas enim quæ Novitiis indemnis ſtare debet, non eſt ad favendum car-

carnali affectui, sed ad liberè subveniendum cuivis Pauperi juxta Ordinem charitatis. Justitiæ, & misericordiæ probabiliùs satisfiet, si vestimentis Novitiorum, quorum plerique gratis probationis indumenta ab ordine recipiunt, præ reliquis munerentur Sæculares Conventui, vel Fratrum necessitatibus subinde famulantes.

## DE HABITU NOVITIORUM.

### *QUÆSTIO* I.

Quis sit Habitus Novitiorum? *Responsio*: Habitus Novitiorum consistit in duabus tunicis, caparone usque ad cingulum, cingulô, & braccis. Per caparonem porrò passim intelligitur Caputium vel petia panni, à Caputio à pectore, & à tergo dependens usque ad cingulum.

### *QUÆSTIO* II.

Cujus sit recipere ad Professionem? *Responsio*: Solius Ministri Provincialis jure ordinario, ex statutis verò, & Patris Ministri Commissione, etiam Guardiani Conventûs in quo locantur Novitii: Alii autem Fratres nullum jus ad receptionem habent, sed judicium dumtaxat de idone-

itate

itate Novitiorum, juxta quod ſuffragium tenentur ferre pro, vel contra Novitium.

## *QUÆSTIO* III.

Quid circa Suffragia ferenda obſervandum? *Reſponſio*: Iſtud nempe: quod æquè mortaliter peccent Fratres, Novitium aliàs idoneum nigrô ſuffragio remittendo, ſicut notoriè inhabilem admittendo.

## *QUÆSTIO* IV.

An contra Suffragia Fratrum, poſſit de Novitio Miniſter Provincialis ſtatuere? *Reſponſio*: Ex Sententia Congregationis Generalis Segovienſis Annô 1621. poteſt Provincialis admiſſum Novitium à majori parte Fratrum ad ſæculum remittere, ſi aliàs judicet ineptum.

## *QUÆSTIO V.*

Utrum Profeſſio ultra annum differri poſſit? *Reſponſio*: Poteſt ex rationabili cauſa, ſed accellerata, hoc eſt, ante phyſicè, ſeu ad diem completum annum emmiſſa non tenet: Unde licet nonnunquam extremè decumbentibus permittatur ex privilegio durante Novitiatu profeſſionem emmittere, ea tamen, cum merè conditionalis

nalis ſit, non tenet ſi tunc Novitius non decedat, niſi finitô probationis annô denuò repetatur.

## *QUÆSTIO* VI.

An teneatur Novitius promittere vitam iſtam, & Regulam ſemper obſervare? *Reſponſio*: Novitius tenetur ſi verus Frater Minor eſſe velit, omnino ſimpliciter ſine adjecto, & privilegio vitam iſtam, & Regulam promittere, idquè pro ſemper, cum poſt profeſſionem nemo de iſta Religione exire poſſit, *primò* vi voti, & Regulæ. *Secundò* ob jus Pontificium, ſeu mandatum Pontificis.

## De Veſtimentis Profeſſorum, & Calceamentis.

## *QUÆSTIO* I.

Quid in Regula intelligatur per unam tunicam cum Caputio, & aliam ſinè Caputio? *Reſponſio*: Tunica ſinè Caputio accipitur pro tunica interiori, ſeu quæ ſub externo habitu geſtari poteſt ad placitum; Tunica verò cum Caputio denotat habitum externum, cui correſpondet Caputium.

*QUÆ-*

## QUÆSTIO II.

An tunicæ exteriori Professorum necessariò debeat esse assutum Caputium? *Responsio*: Ex vi Regulæ nemo videbatur unquam peccare, qui non gessit assutum Tunicæ Caputium, esto id factum fuerit contra antiquissimam, imò primævam Religionis consuetudinem. Sed à tempore, quô Mosetta, sive pars ad scapulas descendens nostro Caputio adjuncta est, satis videtur & honestati, & laudabili consuetudini consultum.

## QUÆSTIO III.

An liceat omni tempore duas tunicas habere? *Responsio*: Quamvis sanctum, & pium sit unicâ cum Caputio contentum esse; tamen per verba Regulæ, licet omni tempore Fratribus uti tunicis, alterâ cum cum Caputio, alterâ verò sine Caputio. Sic verò duos habitus habere non licet, ut pro sola comoditate unùm de die, alterum de nocte, unum in Festis, alterum in ferialibus induant, unum in cubiculo, alterum quando debent in publico comparere.

QUÆ-

## QUÆSTIO IV.

An Fratres nunquam possint plures duabus habere tunicas? *Responsio.* Possunt ex dispensatione Ministrorum, ubi necessitas, vel legitima causa intercesserit, v. g. Infirmitas Fratris, frigoris acerbitas, & intollerantia, debilitas, & senectus, denique necessaria honestas, dum videlicet Frater talibus laboribus applicatur, quos sine mutatoriis, non nisi magna inhonestate perficere posset.

## QUÆSTIO V.

An præter duas tunicas licitus sit Fratribus usus Mantelli? *Responsio*: Est licitus. Mantellum enim nemo dicere potest rationem tunicæ habere, ac proinde nec inter tunicas computare.

## QUÆSTIO VI.

An Fratres possint licitè uti camiseis lineis, vel stamineis? *Responsio*: non possunt sinè speciali dispensatione, & qui utuntur peccant mortaliter, cum hæc omnia expressis terminis prohibuerit URBANUS VIII.

QUÆ-

## QUÆSTIO VII.

Licetne Fratribus Galeros, vel duplicia Caputia habere? *Responsio.* Licet in itinere ad propulsanda aëris incomoda, quia ista inter vestimenta non computantur. Unde in voluntate Fratrum manet eis uti, vel non uti, attendere tamen debent Fratres, ut utrumque necessitati deserviat: Et nulla curiositas adsit. *Antiqvus certè modus* (inquit Rousserius) *Ordinis fuit, ut pileis laneis non coriosis, sed Religiosis, & sanctæ paupertati consentaneis Fratres uterentur.*

## QUÆSTIO VIII.

Quid nomine Calceamentorum in Regula intelligatur? *Responsio*: Nomine Calceamentorum propriè intelliguntur consueta pedum operimenta de Corio.

## QUÆSTIO IX.

An nomine Calceamentorum caligæ truncatæ vel sandalia prohibeantur? *Responsio*: Neutrum prohiberi videtur; talia enim adhibentur magis ad removendam injuriam læsionis, quàm ad pedis aliquod operimentum; nihilominus ad portandas caligas truncatas, dispensationem requirunt ii, quibus propria salus cordi est.

## QUÆSTIO X.

Quid propriè ſit portare calceamenta? *Reſponſio.* Portare calceamenta propriè dicit uſum continuum; unde ad breve tempus, vel ad miſſam celebrandam, vel ad pedes reſtaurandos poſt iter, calceari non prohibemur per Regulam.

## QUÆSTIO XI.

Quæ neceſſitas requiratur, ut calceamenta portentur? *Reſponſio*: Neceſſitas non determinatur uno modo ſed pluribus; aliquando enim determinatur ſecundùm perſonæ ſtatum, quia debilis, & infirma eſt, aliquando ſecundum tempus, quia grande lutum, aut vehemens frigus eſt, aliquando verò ſecundùm locum, officium, aut iter, quod ſcilicet, non poſſet nudis pedibus confici, ſinè detrimento Perſonæ, vel cauſæ intineris. Ita Hugo.

## QUÆSTIO XII.

Licetne uti ſoccis paneis, vel ſutonibus? *Reſponſio*: Sinè diſpenſatione, vel neceſſitate non licet, cùm diſpenſatione tamen, aut ubi neceſſitas cogit, licet. Unde Hugo: *ubi neceſſitas cogit, non minus calceatus, quàm diſcalceatus ſervat Regulam.*

Qua-

Quapropter dum à quibusdam, ex nive, aut glacie, madore, aut lutò, gravia rationabiliter pertimeſcentur incommoda, melius eſt beneficium Regulæ cum humilitate recipere, quàm ſe periculo cum ſuperſtitione exponere.

## QUÆSTIO XIII.

Cujus ſit in Caceamentis diſpenſare? *Reſponſio*: Superioris cujuslibet, ubi ejus præſentia haberi commodè poteſt; ubi verò non poteſt, ſicut in itinere, ſufficit ex natura rei cognita rationabilis, ac evidens neceſſitas, in Deo, & ſecundùm conſcientiam probata.

## DE VILITATE VESTIMENTORUM.

## QUÆSTIO I.

Quæ vilitas requiratur in Veſtimentis Fratrum Minorum? *Reſponſio*: Vilitas Veſtimenti Fratrum Minorum in duobus potiſſimùm attenditur: *In prætio*, quod paupertati correſpondet, & *in colore*, cujus, quemadmodum & pretii æſtimatio, pendet à conditione, & conſuetudine Regionis.

## QUÆSTIO II.

Ad quem finem repetiatio veſtimentorum permittatur? *Reſponſio*: Ex duplici fine. *Primò* ad majorem paupertatem, ne ubi lacera fuerint, nova ſtatim procurentur. *Secundò*: ad ſæculi deſpectum, & panni vilitatem.

## QUÆSTIO III.

Qualis repetiatio eſſe debeat? *Reſponſio*: Repetiatio veſtimenti, vel ſpectat ad veſtimenti conſervationem, & omnis talis licita eſt, ac liberrima unicuique Fratri, vel verò inducit vilitatem, ſeu aſperitatem, & talis quoque licita eſt, ac meritoria, judicio tamen ſuperiorum moderanda, ne religioſæ decentiæ fors limites excedantur.

## QUÆSTIO IV.

An repitiatio per conſuturam duarum tunicarum ſit licita? *Reſponſio*: Licet unam tunicam cum altera conſuere etiam per modum diploidis, ſive ſuffulturæ. Addit Hugo: poſſe quempiam ſuffulturam tunicæ in æſtate auferre, & ad hyemem in communitate reſervare, ſinè præjudicio Regulæ.

QUÆ-

# QUÆSTIO V.

Quid generaliter in puncto vilitatis vestium cavendum sit? *Responsio*: Caveant Fratres diligenter, ut non solùm non appareant molles, delicati, & curiosi in suis vestimentis, in panno molli, splendido, aut chorda delicatula, & albicula; sed etiam, ne in vilitate quoque, ac repetiatione vestium sint nimis superstitiosi, ac proprii judicii assertores: in his enim occultram superbiam, vanitatem & Hypocrisim dæmon non raro seminat, ut adeò quod pro humilitate institutum est, pro superbia contra humilitatem pugnet.

# IN CAPUT TERTIUM.

## De Divino Officio Clericorum.

# QUÆSTIO I.

An ad illud teneantur Clerici sub peccato mortali? *Responsio*: Tenentur. Et si aliquis Clericus omittat horas suas, vel partem earum notabilem peccat mortaliter, licet ordinibus sacris nondum fuerit insignitus. Sub ejusdem lethalis culpæ reatu, tenentur Laici ad suum officium orationum Dominicarum.

## QUÆSTIO II.

Quid intelligitur per illud in Regula: *Excepto Psalterió?* *Responsio*: Intelligitur Psalterium translationis 70. Interpretum, quod est peculiare Ecclesiæ Romanæ, & quo Cardinales utuntur, nec extra urbem Romanam ejus usus obtinet. *Reliqua* porrò circa transpositionem Ordinis, aut mutationem divini officii regulanda sunt ex iis, quæ pro Clericis Romanis summistæ habent.

## DE JEJUNIO, ET ABSTINENTIA.

## QUÆSTIO I.

Quæ sunt jejunia vi Regulæ obligantia? *Responsio*: Jejunium ad quæ Fratres Minores ex Regula tenentur, censentur hoc ordine; *Primò*: à festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. *Secundò*: Quadragesima cunctis Christianis communis, à die Cinerum, usque ad Resurrectionem. *Tertiò*: Singulæ Feriæ sextæ per annum, etiam illæ, in quas nonnunquam Festum Nativitatis Domini incidit. Porrò circa qualitatem ciborum attendendus est mos Patriæ, & jejunantium communis forma. De Regulari autem jejunio

ab

ab Epiphania Domini per continuos 40. dies, consilium est S. Patris, non præceptum.

## DE NON EQUITANDO.

### QUÆSTIO I.

Quid prohibeatur per verbum: *Equitarè?* *Responsio*: Vi hujus prohibitionis Regulæ prohibetur dumtaxat, ne equo, vel alicui jumento insidentes, Fratres iter conficiant. Istud enim tantùm vulgariter equitare est. Cæterum ex aliis titulis vetatur etiam Fratribus bigatio, aut quadrigatio, idque extra casum necessitatis, vel infirmitatis.

### QUÆSTIO II.

Qui possunt hi tituli esse permoventes ad prohibitionem bigationis, aut quadrigationis? *Responsio*: *Primò*: Sumptus ad id necessarius, pro quo esset ad amicos Spirituales, & pecuniam recurrendum. *Secundò*, Scandalum & periculum Scandali, & excessus gravis contra humilitatem, & vilitatem pauperrimi statûs nostri, ac contra intentionem Sanctissimi Patris. Unde singulariter observandum, quod præcisa ratione recursûs, sive sumptuum, & scandalo, non sit

censendus Frater minor peccare, si ex causa rationabili, & superiori probata bigâ, vel quadrigâ utatur.

## QUÆSTIO III.

Quæ sunt causæ sufficientes ad equitandum? *Responsio*: Manifesta necessitas ex triplici capite orta. *Primò*: ratione prolixi itineris. *Secundò* ratione, impediti itineris. Ac *Tertiò*, ratione negotii urgentis, quod premit, & brevi tempore peragi debet. Semper tamen præsupponenda est causa legitima, quæ hujusmodi necessitatem inducat; quod idem in infirmitate observandum.

## IN CAPUT QUARTUM.

### De Paupertate quoad ejus essentiam.

## QUÆSTIO I.

Quid sit Paupertas Fratrum Minorum? *Responsio*: est generalis abdicatio omnis juris politici, ac cujuscumque rei temporalis, tam quoad rem ipsam, quàm quoad ejus usum, tam in particulari, quàm in communi, propter Deum. Ubi advertendum, Fratrem Minorem juri naturæ, sive poli, non renuntiare per professionem suam,

am, quin ſicut omne vivens poſſit ſuſtentari cibo, & potu, undequaque accepta in caſu neceſſitatis vitæ conſervandæ. Quod Fratris Minoris jus ut exprimeret, dixit aliquando Beatus Fr. Gilbertus: *Tantum jus habet avis in grano quod comedit, quantum Frater Minor in cibo quem manducat.*

## QUÆSTIO II.

Quid eſt jus politicum quoad rem? *Reſponſio*: Jus politicum quoad rem tria importat: Dominium, Poſſeſſionem, & proprietatem. *Dominium* dicitur jus, quo quis de ſua re poteſt ſtatuere ad libitum, & pro illius tuitione, jure experiri. *Poſſeſſio* ad Dominium addit, quod in tali jure non poſſit impediri. *Proprietas* verò, quod quis in tali jure parem non habeat.

## QUÆSTIO III.

Quid eſt jus politicum quoad rei uſum? *Reſponſio*: Et hoc bifariam dividitur, aut enim eſt uſus fructus, quo quis tam pro ſe, quam pro aliis fructus percipere, & diſpenſare poteſt; aut verò eſt uſus juris, per quem aliquis pro ſe ſolo fructibus utitur, vel uti poteſt. Ex quo patet, paupertatem Fratrum Minorum in hoc conſi-

stere, ut non suo, sed alieno semper utantur, alieno vivant, alieno vestiantur, in alieno habitent, quod revera significat simplicem usum habere, talisque paupertas est virtuosa, & verè Evangelica, ab Apostolis, & Christo Domino practicata.

## QUÆSTIO IV.

An istiusmodi usus simplex facti, ab usu juris semper separetur? *Responsio*: Secundùm omnimodam veritatem, usus istiusmodi simplex facti, omnino separatur ab usu juris etiam in esu consumptibilibus: Nam quotidie filii parentum, & servi Dominorum utuntur bonis, & cibis &c. nec propterea tamen ullum jus habent ad talia: atque isto modo Frater Minor utitur illis omnibus, quæ sibi ex charitate offeruntur; Jus autem, & dominium talium manet semper, aut penes dantem, si sibi reservaverit, aut penes Romanum Pontificem, qui omnium rerum, quarum usum facti Fratribus licet habere, jus in se assumpsit.

## QUÆSTIO V.

Quid si Pontifex renunciet tali Dominio? *Responsio*: Renuntiaverat id quidem olim ad communem Ordinis consternationem,

nem, Joannes XXII. Sed alii Pontifices denuo reaſumpſerunt. Ut proinde advertendum ſit: Fratrem Minorem nunquam poſſe repetere rem aliquam, aut uſum ejus, ſuo nomine, ſive authoritate. Et quamvis ſubinde, aut volentem ipſas rapere, prohibeant, aut à raptore repetant, id licitè perficiunt, non jure aliquo, ſed naturali Charitate, qualiter E. G. Servus Domini bona defendit.

## DE PAUPERTATE QUOAD USUM.

### QUÆSTIO I.

An omnium rerum uſus ſimplex, Fratribus Minoribus ſit permiſſus? *Reſponſio*: Nequaquam; nam nonnullorum uſum etiam quantumcunque ſimplicem expreſſe prohibet Regula, & quidem *Primò* abſolute, ac ſine exceptione, uſum denariorum. *Secundò*, extra neceſſitatem uſum Calceamentorum. *Tertiò* uſum veſtimentorum prætioſorum. *Quartò* uſum equorum ad equitandum, denuò extra caſum manifeſtæ neceſſitatis. Ac denique *Quintò*, uſum etiam Procuratorum, ad obtinendas pecunias.

### QUÆSTIO II.

An ad alios uſus arctos teneantur Fratres Minores: *Reſponſio*: Ex declarationibus

bus

bus Pontificum deducuntur alia quinque obligatoria ad peccatum mortale in usu, & modis spectantibus ad paupertatem, videlicet *Primò*: de non habendis, aut de non utendo redditibus. *Secundò*: De non assistendo in curiis, & processibus. *Tertiò* de non habendis Ecclesiis quasi Cathedralibus, sive excessivis. *Quartò* de excessu in ornamentis, & Paramentis Ecclesiasticis. *Quintò* demùm de non exequendis Testamentis, & ultimis voluntatibus. Atque ista quinque prohibentur ex circumstantiis, & adjacentibus ipsius Regulæ, & non ex mero præcepto Pontificio.

## DE NON RECIPIENDA PECUNIA.

### QUÆSTIO I.

Quid intersit inter pecuniam, & denarios? *Responsio*: Quidquid alii dicant, in Regula tamen Fratrum Minorum, denarius, & pecunia ferè sunt Synonyma. Unda à NICOLAO III. & CLEMENTE V. pro iisdem sumuntur; nisi quod pecuniæ nomen universalius sit, denarii verò pressius.

### QUÆSTIO II.

Quid igitur nomine *pecuniæ* propriè intelligitur: *Responsio*: Tria hic potissimum à non-

nonnullis intelligi ſolent, ſed refutantur: *Primò*: quidquid numerata pecuniâ æſtimari poteſt, & ſic Fratri Minori non liceret recipere veſtes, cibos, ædificia: iſta enim numeratâ pecunia æſtimari poſſunt. *Secundò*, quidquid recipitur eo animo, ut vendatur, aut diſtrahatur, & ſic non liceret Fratribus Minoribus acceptare legatum alicujus domûs, agri &c. ut per perſonas idoneas vendantur pro Fratrum neceſſitatibus. *Tertiò* quidquid datur nummorum locò, & ſic non liceret Fratri Minori, in mercedem laboris pro pretio accipere granum, vinum veſtes &c. cùm tamen talia dentur locò nummorum permittente Regulâ. Unde liquet in contrarium, neminem cenſeri pecuniam accipere, niſi qui denarios recipit, quatenus ſunt formale inſtrumentum emptionis, ſive quatenus ſunt monetæ ex quacumque demum materia, publica authoritate inſtitutæ.

## QUÆSTIO III.

An nunquam liceat recipere denarios Fratri Minori? *Reſponſio*: Nunquam, quatenus ſunt formale inſtrumentum emptionis, niſi in ſola gravi, & extrema neceſſi-

cessitate; ut tempore persecutionis, inter infideles, & Hæreticos, quando aliter vitæ corporalis necessaria non posset habere: quatenus autem idem denarius est materiale quoddam metallum, eatenus usibus Fratrum semper cædere potest. Unde Frater Minor posset aureos recipere, non prout genus, aut species monetæ sunt, sed prout simpliciter aurum sunt, ut nempe ex talismodi auro calix seu conficiatur, seu inauretur. Quamquam cavendum ob abusus, & scandali periculum, ut in tali etiam casu non recipiatur aurum, nisi fractum priùs, vel fusum. Idem intelligendum, quando contactus, & actio tantùm materialis circa pecuniam intercedit. Unde tempore belli, aut invasionis cujuscumque civitatis possunt permittere Fratres apud se deponi pecunias sæcularium: Imò etiam transportare possunt easdem, si latrones obsideant iter, quia talis transportatio magis videtur alienæ rei custodia, quàm pecuniæ *ut est pecunia* ministerium, si tamen summa necessitas sic jubeat, & scandalum nostræ Professionis absit.

QUÆ-

## QUÆSTIO IV.

Quis propriè dicatur recipere pecuniam? *Responsio*: Recipere pecuniam propriè dicitur, qui quovis modo illam ſive in poſſeſſionem, ſive in uſum quemcunque civilem, vel in authoritatem acceptat, ſive per ſe hoc eſt in perſona propria, ſive per interpoſitam perſonam, id eſt, intermediam inter dantem, & Fratrem acceptantem, quæ denarios authoritate Fratris recipiat, vel aſſervet, vel expendat.

## QUÆSTIO V.

Quæ ſint peccata mortalia circa prohibitionem receptionis pecuniæ? *Responſio*: *Primò* qui peccuniam quôvis modo acquirunt, ſive ad theſauriſationem, ſive ad uſum. *Secundò*: qui pecuniam recipiunt in alienum uſum, ut eam dent alteri, vel in alterius neceſſitatem exponant. *Tertiò*, qui pecuniam in ſuas neceſſitates depoſitam in mutuum dant, vel dari curant. *Quartò*: Qui ex illa cambium faciunt. *Quintò*, qui ad lucrum, & intereſſe dari conſentiunt. *Sextò*: qui in Societatem Syndicis, vel aliis præſtant. *Septimò*: Qui eas apud ſe deponi permittunt civiliter, ita ut de illis teneantur ratio-

tionem reddere. *Octavo*: Qui etiam alienas dispensant, & administrant. *Nonò*: Qui denarios vel monetam cudunt. *Decimò*: Qui clavem cistæ, vel cippi, ubi pecunia asservatur retinent, etiamsi cistæ sint in domo Sæculari. *Undecimo*: Qui computum civilem faciunt, vel recipiunt. *Duodecimò*: Qui cippos in Ecclesia exponunt. *Decimotertio*: Qui permittunt denarios deponi in aliquo loco domestico, ut postea per Syndicum recipiantur. *Decimoquarto*: Qui in sua perá, dum sunt in itinere, pecuniam recondunt, ut postea Sæculari expendendam tribuant. *Decimoquinto*: Qui famulum proprium habent pro recipienda pecunia de eorum mandato, ac permissione. *Decimosexto*: Qui veluti Domini denarios authoritativè expendi mandant. *Decimo-septimo*: Qui juridicas quietantias dant &c.

## QUÆSTIO VI.

An liceat Fratri Minori iter facturo, literas cambiales recipere? *Responsio*: Non licet recipere literas similes, quibus sibi demandatur pecunia numeranda; Quia hoc modo videtur Frater in pecuniam consentire quoad actum volunta-

tis

tis internum; ſed benè licet uti talibus obligatoriis, ſi non fiant ſub nomine Fratris, ſed tantùm ut in ejus neceſſitates, quarum eſt capax, expendatur pecunia, etiam à perſona denominanda per Fratrem. Quia tales Litteræ, etſi ſint obligatoriæ reſpectu perſonarum, quæ ad invicem ſcribunt, non tamen reſpectu Fratris, qui ad numeratorem velut ad Amicum ſpiritualem recurrit, idque pro neceſſitatibus ſuis.

## De Recurſu ad Amicos Spirituales.

## QUÆSTIO I.

Quis ſit dicendus Amicus Spiritualis? *Reſponſio*: Licet ſecundum communem loquendi modum, Benefactor, & Amicus Spiritualis idem ferè ſignificent, id eſt, Perſonam ex amore Dei Fratribus benefacientem: in hoc tamen Regulæ paſſu, multum differunt; nam ad Benefactores, & ſemper, & quibuſcunque Fratribus (unica pecuniâ excepta) licitum eſt recurrere; ad amicos autem Spirituales ſolis Miniſtris, & Cuſtodibus. Eſt porrò ſecundum Regulam, ille ſolus Amicus Spiritualis, qui ex amore Dei, vel devotione ad Fratres, ſpontè, aut rogatus dat pecuniam ad ſa-

tisfaciendum necessitatibus, quæ per pecuniam acquiri debent: sive sit dans, sive substitutus, aut substituti depositarius, aut verò nuntius.

## QUÆSTIO II.

Potestne Syndicus dici Amicus Spiritualis? *Responsio*: Ex descriptione Amici Spiritualis, & ex vi, officioque syndicatûs, Syndici non sunt Amici Spirituales; officium enim Syndici triplex est. *Primum*: Concessum à Nicolao III. videlicet, ut nomine Sanctæ Sedis, & Romanæ Ecclesiæ, reciperent res omnes mobiles, & immobiles, quarum usus Fratribus est licitus, quique res hujusmodi, cum ita expediret, venderent, commutarent, alienarent, & earum pretium in Fratrum necessitates expenderent. *Secundum* officium Syndici à Martino IV. & V. ac Paulo etiam III. est additum, ut nempe nomine Romanæ Ecclesiæ recipere, nec non judicialiter repetere possint eleëmosynas quoque pecuniarias, modô licitô ipsis Fratribus relictas, sive testamento legatas. *Tertium* tandem officium fuit Syndicis à Paulo IV. indultum, occasione relaxationis Fratrum, ut pe-

pecunias, & quascunque eleëmosynas nomine Ecclesiæ Romanæ reciperent, & eas prout à Fratribus requirerentur expenderent nullo habito respectu ad dantes. Et istud tertium officium quoad pecuniam, est abrogatum; Imò necque concessione Pauli III. post declarationem Urbani VIII. amplius uti licet; ut proinde pateat, Syndicos, ex vi Syndicatûs non esse Amicos spirituales, cùm ad illos non recurratur ex vi Syndicatûs pro necessariorum solutione ex suis facienda; sed sunt duntaxat œconomi S. Romanæ Ecclesiæ. Prout tamen ùt plurimum depositarii sunt, & substituti dantium, quatenus nempe eorum nomine, ceu personæ magis idoneæ, atque fideliores, in usus Fratrum pecuniarias eleëmosynas expendunt, eatenus aliqualiter amici Spirituales possunt nuncupari.

## QUÆSTIO III.

Quomodo differt Amicus Spiritualis à Persona interposita? *Responsio*: Toto genere differunt: Quia interposita persona nomine Fratrum recipit pecuniam, eorum authoritate, ac beneplacito pariter expendendam, Amici autem Spirituales,

ſeu ſint dantes, ſeu dantium ſubſtituti, depoſitariivè, ſeu etiam Syndici, nunquam nomine Fratrum recipiunt, nec eorum authoritate, aut beneplacito expendunt, ſed dumtaxat nomine dantium.

## QUÆSTIO IV.

Quid eſt Recurſus ad Amicos ſpirituales? *Reſponſio*: Eſt procuratio actualis ſolutionis, vel emptionis rei neceſſariæ, quatenus per perſonas idoneas, mediante pecunia fieri debet. Ubi ad ſerenandas multorum conſcientias diligenter advertendum: quod E. G. Frater mendicando panem apud illum qui panem domi non habet, & ſubinde emptum pecuniâ recipiens, neutiquam dici poſſit, recurriſſe ad Amicum Spiritualem: Nam Mendicatio nihil eſt aliud, quàm rei in ſua ſpecie procuratio, præſcindendo ab eo, ſitnè res illa quæ petitur, apud dantem, an verò (quod interdum per accidens fieri aſſolet) per pecuniam ab ipſo dante prius acquiri debeat? Quatuor quippe modi ſunt diſtincti in Regula, ſubveniendi neceſſitatibus Fratrum. *Primus*: per oblata ſpontè, ſeu liberaliter. *Secundus*: per mendicata humiliter. *Tertius*:

*tius* : per acquisita laboritiô. *Quartus* denique: per recursum ad Amicos spirituales. Priores tres modi, etsi concomitanter quandoque habeant, ut Fratri data res, prius empta fuerit, ac pecunia soluta, in sua tamen natura, nequaquam emptionem, respectumve ad pecuniam includunt: Solus proinde quartus modus formaliter, ac per se intentionem solutionis, aut emptionis rei, mediante pecunia comprehendit.

## DE PERSONIS RECURRENTIBUS.

### QUÆSTIO I.

An vi Regulæ liceat recurrere? *Responsio*: Esto vi Regulæ istiusmodi recursus Ministris dumtaxat, & Custodibus concedatur; juxta declarationes tamen Nicolai III. potest talis recursus comitti tam Guardianis, quàm in eorum absentia Vicariis, idque per se, vel per alios. Quod tamen indistinctè, & leviter fieri non debet, ne occasio proxima transgressionibus subministretur.

### QUÆSTIO II.

Quid si Superiores non provideant Fratrum necessitatibus? *Responsio* : Si

ſint veræ neceſſitates, & notabilis Prælatorum negligentia, poſſunt ſibi Fratres ſine peccato providere, ſervatîs modificationibûs declarationum. Neceſſitates autem duas tantum ſpecificat S. Franciſcus: unam ad infirmos, aliam pro Fratribus induendis ſe extendentem; aſt ſub his duabus comprehenduntur quoque nonnullæ aliæ ipſis ſubordinatæ, juxta Declarationes Pontificias.

## QUÆSTIO III.

Qualis neceſſitas requiratur ad legitimum recurſum? *Reſponſio*: Quinque conditiones, ſeu qualitates, ejuſmodi neceſſitas ſupponere debet. *Prima* eſt: ut ſit vera, id eſt, ita premens, ut niſi ei ſuccurratur, detrimentum majoris ſeu Spiritualis, ſeu temporalis boni immineat. *Secunda*: ut ſit præterita, præſens, vel proximè imminens, & non tantùm fors, aut poſt multùm temporis futura. *Tertia*: quod ei, ceſſantibus indifferentibus eleëmoſynis aliter ſuccurri non poſſit quoad ſolutionem. *Quarta*: quod res neceſſaria per mendicationem comodè acquiri non valeat; ac demum. *Quinta*: quod neceſſitas Fratrum

trum

trum ſit, non verò aliena. Cæterum, iſta neceſſitas non tam ſimpliciter ex natura rei, quàm ex circumſtantiis, quæ accomodam neceſſitatem inducere ſolent, æſtimanda eſt: Tales porrò circumſtantiæ ſunt communiter: *Perſona, locus, tempus, actiones, ſive occupationes perſonarum &c.*

## QUÆSTIO IV.

An Fratres debeant mutare, aut relinquere loca, in quibus ſine recurſu non vivitur? *Reſponſio*: Minimè. Nam recurſus ad Amicos (modò legitimè fiat) non eſt imperfectio Regulæ, nec diſpenſatio in Regula; ſed eſt modus poſitivus providendi neceſſitatibus, à S. Franciſco demandatus, ubi alii vivendi modi deficerent.

## QUÆSTIO V.

An ſuppoſita neceſſitate recurrendi, liceat contempto vili cibo, lautiorem petere? *Reſponſio*: Quamvis perfectionis ſit, neglecta re cariori, eligere viliorem; non eſt tamen prohibitum ex vi hujus recurſûs, pro meliore, vel cariore recurrere, modò non ſit talis planè res, cujus uſus aliunde eſt prohibitus. Unde pro ex-

emplo: possum leguminibûs relictis, pro carnibus, aut piscibus recurrere: similiter pro vino, relictâ cerevisiâ: sed non possum recurrere pro prætioso panno, repudiato vili; cùm usus panni prætiosi sit aliunde ex Regula prohibitus, carnium verò, aut piscium, vinique non item. Quamquam circa cibaria quoque attendendum sit, ne nimiam immoderantiam sapiant, nimiasque delitias &c.

## QUÆSTIO VI.

Quid si per viliorem cibum sufficienter subveniri possit necessitati? *Responsio*: Sicut duplex necessitas est: *Stricta & accomoda*; sic dupliciter possumus satisfacere necessitati: *Strictè*, & *accomodè*. E. G. necessitati victûs, satisfit *strictè* per legumina, & *accomodè* eidem necessitati satisfit per cibum præstantiorem; utrumque permittit Regula, dumodò quis manat intrà limites usûs rerum præscriptos ex Regula; alioquin enim non posset Frater Minor recurrere in victu, nisi pro pane, & aqua, cum his in rigore, homo vivere possit. Judicare verò de talibus pertinet ad superiorem, & non ad privatos Fratres.

QUÆ-

## QUÆSTIO VII.

An debeat necessitas determinata esse? *Responsio*: Debet in se determina esse; cum aliàs veram indigentiam non denotaret E. G. Frater Minor non potest in genere necessitate premi, nisi panno, vel cibo, aut quopiam alio in singulari indigeat. Mortaliter proinde peccant superiores, qui pecunias indifferentes deponi procurant, ubi necessitas determinata in se non est, ita ut postea laborandum sit, ut inveniant, in quod impendant. Hinc vel nova ædificia excogitant, vel vetera immutant.

## QUÆSTIO VIII.

Quando-nam dici possint cessare eleëmosynæ? *Responsio*: Quando vel defacto nullæ sunt, vel etsi sunt, pro aliis tamen jam certis necessitatibus determinatæ sunt; vel denique licet indifferentes quoque sint, pro omnibus tamen expediendis pro tunc occurrentibus necessitatibus, non sufficiunt.

## QUÆSTIO IX.

Quis ordo tenendus sit, in expediendis necessitatibus, dum plures sunt? *Responsio*: Libertati, ac discretioni superioris

istiusmodi ordo relinquitur. Suppositô enim, quod omnes necessitates veræ sint, omnes vel præsentes, vel imminentes, & eis non sufficiant eleëmosynæ depositæ, nulla ex obligatione attendenda est prioritas in illis, solutionis, vel procurationis, nisi fortè in casibus, in quibus cunctationem charitas non admitteret. Ut si *vgr.* æger indigeret subitò pharmacô, illius procuratio utique præferri deberet aliis necessitatibus, vel dum præsens necessitas cum præterita confertur, illam utique præferre huic, æquitas, ac ratio suadet.

## QUÆSTIO X.

Quando dicatur res incommodè mendicabilis? *Responsio*: Tunc, dum mendicari non potest, nisi cum multa distractione, longis discursionibus, notabili indevotione, vel detrimentô boni Spiritualis. Unde, sicut peccati mortalis juxta materiæ qualitatem damnandi sunt, qui sinè delectu pro rebus quibuscunque necessariis, ad pecuniarum expositionem recurrunt: ita valdè periculosè, ac imprudenter illi quoque agunt, qui seu ex tenacitate, seu ex scrupulositate, omnia per mendica-

dicationes quantumcunque incommodas habere volunt, non attendentes, per nimias discursiones, ac longas Fratrum absentias, nec non contubernationes cum Sæcularibus, devotionis, ac sanctæ Orationis, operationisque spiritum vehementer extingui, sicque præter corporalem destructionem Fratrum, majus longè spirituale fieri dispendium, quàm bonum temporale procuratum, mereatur.

## QUÆSTIO XI.

Quid de legitima pecuniarum in necessitates Fratrum expensione? *Responsio*: Sex communiter modis, potest assignari pecunia pro Fratrum necessitatibus sublevandis. *Primò*: Per mutuationem. *Secundò*: per oblationem omninò Spontaneam, nullo Fratrum interventu. *Tertiò*: Ex requisitione, seu mediante Fratrum recursu: ut cum quis in vera necessitate rogatus offert. *Quartò*: Intuitu mercedis, & laboris. *Quintò*: Ex legato, sive testamento. Ac *Sextò*: Ex sententia judicis: ut si judex reum condemnet, ad certam summam pro necessitatibus Fratrum expendendam. Atque aliquo ex his sex recensitis mo-

modis oblata, ſive aſſignata pecunia, manet in dominio ejus cujus fuit, quamdiu ipſe vivit, & donec in res, quibus Fratres uti poſſunt, non fuerit expenſa. Unde offerens pro aliqua neceſſitate pecuniam, ſemper habet liberam poteſtatem revocandi pecuniam ipſam, uſque ad converſionem *ipſi*us in rem deputatam. Quodſi verò interim perſona donans deceſſerit, Pontifex tamquam Pater communis, talis necdum expenſæ pecuniæ Dominium aſſumit, vel Depoſitarium velut Dominum facit, Fratribus nihil prorſus juris in eadem pecunia habentibus.

## QUÆSTIO XII.

An liceat Fratribus, urgente neceſſitate, pecuniam mutuare? *Reſponſio*: Non licet ita mutuare, ut ipſi Fratres eam recipiant, vel quovis modo adminiſtrent, vel clariùs: Non licet mutuare, mutuum ſtrictè, ſive juridicè ſumendo, contrahendo nempe cum obligatione juridica ſatisfaciendi, dando Syngraphas obligatorias, ac alia ſimilia agendo; ſed benè, ſuppoſita vera neceſſitate, licet mutuare, mutuô largè ſumptô, ſine aliqua civili obligatione, ſed tantùm ſimpliciter dicendo, quod Fratres in-

intendant fideliter conniti, ut ei, qui modò per pecunias necessitati subvenit, cum gratiarum actione solutio fiat. Cæterùm, sicut non licet Fratri Minori mutuum juridicum accipere, ita etiam non licet dare, quia qui dat mutuum, *meum*, vel suum, *Tuum* facit, cujus utriusque, puta & *Mei*, & *Tui* Fratres Minores incapaces sunt.

## QUÆSTIO XIII.

Quid agendum sit circa oblatam spontè pecuniam? *Responsio*: Pecunia dupliciter offerri potest: videlicet, vel per modum meri Beneplaciti, ut dum quis significat Fratribus, paratum se esse in eorum necessitates expendere, certam summam pecuniæ; vel verò per actualem numerationem pecuniæ. Si priori modo offeratur, semper eam Fratribus licet acceptare, dumodo deinde non recurrant ad ipsam ceu ex debito, aut, quod majus malum esset, schedulas obligatorias super eam non recipiant. Si autem secundo modo offeratur, non licet in eam consentire, sive maneat apud dantem, sive apud depositarium, nisi sub conditionibus, sub quibus licet actualiter recurrere, urgente nimirùm vera necessitate præsente &c.

QUÆ-

## QUÆSTIO XIV.

Quid si quispiam absque scitu Fratrum pecuniam deponat in usum eorum? *Responsio*: In tali casu liberi sunt Fratres in conscientia. Imò si postmodum Fratres recurrant ad pecuniam hoc modo depositam, licitum id erit ipsis, non ex ratione prioris depositionis, in quam necessitate pro tunc non subsistente, consentire non potuissent; sed necessitate occurrente per modum recentis recursûs, qualiter videlicet facerent; si pecunia nunquam deposita fuisset.

## QUÆSTIO XV.

Quid si quispiam vovit certam summam pro Fratribus? *Responsio*: Talis respectu Conventûs, sive Fratrum non obligatur ad illam dependendam; ratione tamen voti, tenetur Deo, ad faciendam eleëmosynam, eô modô, quô Fratres sunt capaces.

## QUÆSTIO XVI.

Quid si Syndici absque delectu pecunias oblatas recipiant? *Responsio*: Ubi Guardianis de talismodi Syndicorum errore constiterit, debent sincerè protestari, &

& Syndicos informare, se in tales eleëmosynas neque consentire actu, necque consentire unquam posse: Si verò Syndicus non obstante contradictione Fratrum illas servare pergat, Fratres eo casu non maculantur, quia sinè suo consensu maculari non possunt. Imò si postmodum necessitas ingruat, licitus erit recursus ad tales eleëmosynas, non per consensum in illud depositum, sed per modum novæ procurationis, ut dictum.

## QUÆSTIO XVII.

Quomodo se Fratres erga illos gerere debeant, qui rogatu Fratrum dant pecuniam? *Responsio*: Si pecunia est apud dantem, ita, ut per se velit satisfacere, duæ sunt conditiones Fratribus observandæ. *Prima*: Ne fiat recursus ad illum per modum mutui, aut debiti, sed purè insinuando suas necessitates, rogandòque, ut velit pro illis satisfacere. *Secunda* ut non permittant scienter plus pecuniæ dari, quam necessitas vera postulet.

## QUÆSTIO XVIII.

An necessitas debeat determinatè specificari? *Responsio*: Dum comodè specificari po-

poteſt, id quidem puriſſimum, ſimpliciter tamen, non tenetur ad id Frater Minor recurrens legitimè, preſertim ſi neceſſitates plures ſint: Sufficit enim illas inſinuare in genere, vel indicare ſummam ſolutionis, rogaréque ut pro illis ſatisfiat. Atque ejuſmodi pro talibus neceſſitatibus pecunias, Nicolaus III. vocat eleëmoſynas indifferentes non ad neceſſitatem ſimpliciter, ſed ad hanc vel illam in individuo.

## QUÆSTIO XIX.

Quomodo ſe gerere debeant Fratres cum Depoſitario? *Reſponſio*: Quando dans principalis per ſe ipſum ſatisfacere aut non vult, aut non poteſt, quinque paſſim conditiones obſervandæ ſunt cum Depoſitario. *Prima*: ut Fratres nullum præſentent, niſi donans id requirat: Ordinariè verò præſentantut Syndici, ut perſonæ magis idoneæ, magisque probatæ fidei: Imò hi potiſſimùm præſentari debent, ne fiant abuſus in manibus incertis, & ignotis. *Secunda*: Ut ſi pecunia ſub manibus Depoſitarii diutiùs maneat, Fratres ubi congruè poterunt, expreſsè Depoſitario, & donanti indicent, quod dominium depoſitæ pecuniæ,

niæ, liberè apud illum maneat, donec in necessitates fuerit expensa, sive Sæculares id apprehendant, sive non. *Tertia*: Ut quando usu ita ferente, pecunia per multas manus transire debet, id fiat de consensu tacito, vel expresso dantis; expressô, si facilè conveniri possit, tacitò verò, quando commodè nequit conveniri. *Quarta*: ut Fratres in omni verbo, signo, & operè se ostendant in deposita pecunia, sicut revera non habent, ita quoque penitûs nihil juris, dominii, aut administrationis affectare. *Quinta* demum, ut non præsumant, nisi ad summum monere depositarium, ut se in commissa sibi pecunia fideliter gerere velit. Non licet enim Fratribus pecunias à depositario judicio repetere, vel judices ad eas repetendas incitare, aut verò minas, violentiasque seu directas, seu inderectas contra depositarios adhibere: Necque licet computum juridicum à depositario requirere: pecunias cum depositario superstitioso calamo examinare, aut etiam pecuniæ depositæ partem cedere, ut citius solutionem faciat, & his similia; omnia namque hæc in reatum culpæ mortalis præcipitant.

O QUÆ-

## QUÆSTIO XX.

An Depositarii interdum voluntatem determinatam donantium immutare possint? *Responsio*: Non possunt, sive talismodi determinatio fiat ad personam, sive ad locum, sive ad necessitatem, sed semper, & ubique requiritur expressus, aut interpretativus consensus donantis, ut scilicet absque omni fraude, & dolo talis verisimiliter esse credatur, prout patet ex Resolutionibus Pontificiis.

## QUÆSTIO XXI.

Quid si de specificata necessitata aliquid supersit pecuniæ? *Responsio*: oportet residuum donanti restituere, nisi donans det falcultatem, in aliam necessitatem expendendi.

## QUÆSTIO XXII.

Quid observandum circa pecuniam intuitu laboris? *Responsio*: Licet Fratres Minores pecuniam, vel denarios recipere non possint pro mercede laboris: recurrere tamen possunt pro necessitatibus ad offerentem eleëmosynam pecuniariam intuitu ejusdem laboris, & mercedis: Servatis tamen-

men conditionibus in ejusmodi recursu, quæ in aliis recursibus supponuntur, ut scilicet recursus nullo modo fiat ex debito, vel quasi debito supponatque veram necessitatem.

## QUÆSTIO XXIII.

Quid si pecunia testamentô legata? *Responsio*: Ultra conditiones circa oblatam liberaliter, & per recursum pecuniam, hæc sunt tenenda. *Primò*: Ne in talia legata scienter Fratres consentiant, aut ea planè procurent, nisi pro vera necessitate præsenti &c. *Secundò*: Quod ad Executores non recurrant velut ex debito. *Tertiò*: Ut circa Executores, & Hæredes se gerant, velut circa depositarios. Ac *Quartò*, ut omne Legatum indifferens, intelligatur semper sub modo licito Fratribus esse relictum. Porrò circa eleëmosynas pecuniarias per coactionem judicis, sive sinè scitu Fratrum, sive interveniente eorum solicitatione assignatas, eædem prorsus conditiones servari debent.

## QUÆSTIO XXIV.

Quid si apud Fratres Apostatas pecunia reperiatur? *Responsio*: Sicut bona Apostatarum, sive extra, sive intra ordi-

nem reperta, quorum ſimplex uſus facti Fratribus eſt licitus, E. G. libri, utenſilia &c. Cedunt in uſum Ordinis, & Fratrum; ita tàm mobilia, quàm immobilia bona Apoſtatarum, quorum uſus etiam facti Fratribus eſt prohibitus, ut ſunt pecuniæ, veſtes Sæculares &c. non cedunt per *ſe in* uſum, & utilitatem Ordinis, aut Fratrum. Nec habet locum in hoc paſſu Privilegium Leonis X. ut per Syndicos repeti poſſint talia, aut Fratres ſe quoquo modo intromittere, quia id eſt contra puritatem Regulæ, & Declarationes. Cæterùm, cum talia debeant per Epiſcopum pauperibus *diſtribui*, poſſunt rogare Fratres, ut ſibi potius per modum puræ eleëmoſynæ applicentur.

De Burſario, vel Amico Spirituali in via.

QUÆSTIO I.

An liceat talem in via ſecum habere? *Reſponſio*: Aut accipitur Burſarius in rigore, qui videlicet nomine Fratrum Burſam gerat, & pecuniam adminiſtret? & talem ſupoſita quantumvis verâ neceſſitate (niſi in caſu, quo *jure* poli licet pecuniam acci-

accipere ) prorsus non possunt Fratres secum circumducere; talis enim Bursarius est vera Interposita persona : aut verò accipitur Bursarius latè, pro eo nempe, qui nomine Dantis Fratrem in itinere commitatur, ut necessaria solvat, sive procuret per pecuniam, & talis posset adhiberi, data vera necessitate, multò magis autem in extrema, quæ ex infirmitate, aut senio Fratris in via, aut inter fideles obventura prævideretur, positis tamen antea singulis conditionibus de modo recursûs jam dictis, & secluso scandalo.

## DE QUÆSTUBUS PECUNIARIIS.

### QUÆSTIO I.

An liceat facere collectas pecuniæ pro usu Fratrum? *Responsio*: Hic supponitur pluribus in locis in usu esse, quod Sæculares quidam Deum timentes circumeant domos, colligantque pecuniarias eleëmosynas, ut postea in necessitates Fratrum per suos Syndicos exponantur: Istud itaque, si absque ullo Fratrum interventu fiat, nullô modô est illicitum; Fratres tamen non possunt ad ejusmodi collectas recurrere, nec in earum depositionem consen-

ſentire, niſi pro vera neceſſitate præterita, præſente, vel imminente; & ſub omnibus conditionibus jam frequenter memoratis.

## QUÆSTIO II.

Licetne ex ſeggeſtu ejusmodi collectas populos commendare? *Reſponſio*: Licitum eſt Fratribus, populo conventûs ſui neceſſitates inſinuare, ſinè mentione tamen pecuniæ, verùm liberum omnibus relinquendo, ut quovis legitimo modo dictis neceſſitatibus ſubveniant.

## QUÆSTIO III.

An Sæculares, qui Fratres res *in ſpecie* mendicantes committantur, poſſint aliquando locò rei, conſentientibus Fratribus pecuniam acceptare? *Reſponſio*: Non poſſunt Fratres in ejusmodi pecunias conſentire, niſi res in tanta quantitate ſummè neceſſaria eſſet, ut ad illam procurandam, neceſſum foret mediante pecunia recurſum facere. Quin imò in tali caſu bene informanda eſſet perſona offerens, quod ſcilicet Fratres diſertè profiteantur, ſe *vgr.* candellas, oleum, butyrum &c. non pecunias quærere: in poteſtate attamen dantis remanere, quovis modo eis providere, & per

que-

quemcumque velit, non tamen per aliquem, quem Fratres aſſignarent; atque tunc ſi perſona bene informata, comitteret negotium bajulo (ut vocamus) aut cuicunque tali qui in commitiva eſt, non videretur Fratrum conſcientia maculari.

## QUÆSTIO IV.

Quid ſi ſolvendum ſit viro commitanti pro labore? *Reſponſio*: Licet rogare offerentem, ut & ſolvat, modò rectè informetur, quòd ſit pro diurno, & labore commitantis non verò pro Fratribus.

## QUÆSTIO V.

Quæ ſint Cautelæ Generales, ex dictis circa recurſum ad eleëmoſynas pecuniarias? *Reſponſio*: ſequentes *Prima*: ut qui recurrit; ſit Superior, aut certè ſubditus ex commiſſione Superioris expreſsâ, vel probabilitèr præſumptâ: vel in caſu, quo Superior notabiliter negligens eſſet, in neceſſariis procurandis. *Secunda*: qui recurrit, neceſſariò attendere debet, ut rei, pro qua recurrit, habeat veram neceſſitatem, præteritam, præſentem, vel imminentem, ſitque neceſſitas propria, & ceſſent eleëmoſynæ, de quibus aliàs ſolutio commodè

fieri posset; nec res hujusmodi procuranda, sit commodè mendicabilis. *Tertia*: Caveat, ne scienter deponi permittat plùs, quàm necessitas postulet; si plus depositum fuerit, illud residuum ad donantem redit. *Quarta*: Si necessitas per ipsum datorem facilè expediri possit, & in id consentiat, nullatenùs in alias manus permittant deponi Fratres. Si verò dans voluerit deponere, eligat liberè depositarium; vel si nolit, aut non possit, poterunt Fratres ad eius requisitionem præsentare idoneam ad id Personam, utpotè Syndicum suum. Si pecuniæ per diversas manus transire debeant, id fiat ex Consensu expresso, vel interpretativo donantis. *Ad extremum*, corde, ore, signis & circumstantiis omnibus aliis ostendant Fratres, se nihil in dicta pecunia juris habere, insinuentque donantibus, pecunias tales quamdiu non sunt expensæ, ad eosdem dantes pertinere.

## QUÆSTIO VI.

Quæ sint formulæ recursûs? *Responsio*: Istæ sequentes: *Ad dantem quidem*: rogo, placeat per eleëmosynam aliquam pecuniariam, talibus nostris necessitatibus

sub-

ſubvenire. *Ad depoſitarium autem*: talemne ceſſitatem habemus; rogo, ut depoſitô ſibi commiſſô velit ſubvenire. *Quodſi ſi per diverſas manus pecunia tranſire debeat*: rogo, ut curet talem eleëmoſynam transmitti, per tales creditores, vel per tales &c. Si notitia requiratur.

## IN CAPUT QUINTUM.
### De Laboritio.
### QUÆSTIO I.

An ſit præceptum ſpeciale in Regula de opere manuali? *Reſponſio*: Non eſt: omnes enim obligaret, cum tamen Declarationes Pontificiæ eximant ab hoc præcepto vacantes litteris, prædicationibus &c. Cæterùm verba Regulæ, modos tantùm quosdam exhibent, quibus manuale opus rectificetur ibi (*laborent fideliter*: *&* *devotè*) hoc eſt, quandò erit laborandum interdùm, ita laborent, ut fidem proximo ſervent, & Deo pietatem.

### QUÆSTIO II.

Cur tamen in Regula, & in Teſtamento tantopere labor commendatur? *Reſponſio*: Ad otioſitatem vitandam: & ſub hoc

respectu, præceptum laborandi, est Divinum naturale, necque amplius obligat Fratrem Minorem, quàm alium Christianum.

## DE MERCEDE LABORIS.

### QUÆSTIO I.

An possint Fratres Minores laborare pro Mercede? *Responsio*: Non tantum possunt laborare pro mercede, sed etiam labor hujusmodi â Sancto Patre indictus est, ad necessaria sibi providenda. *Patet ex textu.*

### QUÆSTIO II.

Quid sit conformius Regulæ, *ostiatìm* mendicare, an labore *victum sibi parare*? *Responsio*: Meliùs & conformius Regulæ est labore proprio necessaria conquirere, quàm ostiatìm mendicare. Quin & totius Scripturæ hæc est intentio, & *Sancti* Patris Francisci, quam & hic, & in suo Testamento Clarissimè exprimit, dùm insinuat, non se recurrisse ad mensam Domini, quamdiu labore proprio necessaria subsidia parare sibi poterat.

### QUÆSTIO III.

Ex quo labore manuali debeant Fratres Mercedem accipere? *Responsio*: Ex omni

omni honeſto, & licito. Honeſtas autem attendirur ex ratione operis, & in ordine ad honeſtatem religioſæ vocationis.

## QUÆSTIO IV.

An liceat recipere mercedem pro labore ſpirituali, ut Miſſis, Concionibus &c. *Reſponſio* : Licet pro ſimilibus mercedem accipere, id eſt, corporis neceſſaria. Eſt enim hoc conforme juri naturali Divino, quod Regula non tollit : ſunt verò corporis neceſſaria, victus, veſtitus, infirmorum neceſſitates habitatio, Fratrum congrua &c. in quibus tamen cavendum, ne ſuperfluitas, aut curioſitas interveniat.

## QUÆSTIO V.

Cur hic repetitur prohibitio receptionis denariorum ? *Reſponſio* : Ne quis putaret occaſione mercedis, quaſi communi jure, pecuniam pro Mercede datam, in uſum Fratris Minoris cedere poſſe.

## QUÆSTIO VI.

Quid dicendum de pecuniis depoſitis pro Miſſis, Concionibus ? *Reſponſio* : Si pro quocunque opere ſive manuali, ſive Spirituali, pecuniæ deponantur, ad illas

Fra-

Fratres Minores non possunt recurrere, nisi sub eisdem conditionibus, quas in recursu legitimo servandas superiùs diximus. Quod si ille, cui obsequium est præstitum, det alteri pecunias, ut Fratribus emat cibos, pannum &c. tunc sinè scrupulo acceptare possunt.

## QUÆSTIO VII.

An liceat paciſci de mercede laboris? *Responsio*: Non licet pasci pactione civili; seu politica; sed bene possunt humiliter petere, quod jure naturali debetur in mercedem, absque obligatione civili, dignus quippè est mercenariùs mercede sua.

## QUÆSTIO VIII.

An possint exigere Syndici in judicio, quæ pro sepulturis, Missis, jure communi sancita sunt? *Responsio*: Non possunt; quia Frates capaces non sunt talis juris, & Similia recipere debent per modum puræ eleëmosynæ: Nisi fortè Testamentô Fratribus legata essent, tunc enim nomine Papæ Syndicus ipsa repetere posset.

## QUÆSTIO IX.

An liceat Fratribus picturas, libros â se elaboratos, vendere? *Responsio*: Per

Syn-

Syndicum talia licitè vendi possunt, ut Fratrum necessitati satisfiat congruè; neque enim censentur intendere pecuniam, sed tantum necessitatis suæ subsidium.

## QUÆSTIO X.

An liceat curare emi aliquas materias, ut in illis Fratres operando lucrentur? *Responsio*: Non licet. Quia hic intervenit quoddam genus negotiationis, contra puritatem vitæ Fratrum Minorum. Secùs intelligendum, si emptio fiat, non in utilitatem Fratris, sed in utilitatem ejus, pro quo talis Frater in re operatur. Ita desiderante quopiam â Fratre Pictore imaginem, & telam non offerentè, nec colores, potest talia Frater procurare sub interpretatione tacita, quia ille, pro quo pingit, Mercatori solvet.

## QUÆSTIO XI.

Qui interveniant vulgò abusus circa hoc? *Responsio*: Quando Fratres cum Sæcularibus paciscuntur, pro Missis, Funeralibus; quandò contractus diversos faciunt pro suis operibus, vendendo, emendo, contrahendô; quandô operas suas elocant æstimato pretio &c. quæ juxta mate-

te-

teriæ & ſcandali qualitatem, plurimis peccatis mortalibus inconſideratos Frates involvunt.

## IN CAPUT SEXTUM.

### De Proprietate in rebus Spiritualibus.

### QUÆSTIO I.

An Fratres Minores ſint capaces alicujus Privilegii, aut juris Spiritualis? *Reſponſio*: Sunt omnino quia virtus paupertatis, abnegat tantùm poſſeſſionem Bonorum temporalium, ùt ex Evangelio conſtat. Privilegia porrò Spiritualia intelliguntur: juriſdictiones ad prædicandum, Confeſſiones audiendas, Sacramenta adminiſtranda, indulgentiæ, gratiæ &c. Privilegia quaſi Spiritualia ſunt, exemptiones, ut Privilegia Sepulturarum, habendi campanas, Oratoria &c.

### QUÆSTIO II.

An poſſint habere Privilegia petendi eleëmoſynas in certis locis? *Reſponſio*: Poſſunt:nihilenim per hoc derogaturFratrum Minorum altiſſimæ Paupertati, ſed conſulitur commoditati populi, ne aliis promiſcuè mendicantibus gravetur.

QUÆ-

## QUÆSTIO III.

An liceat tueri jus prædicandi in certis locis? *Responsio*: Licet: hoc enim jus est quasi Spirituale. Nec obstat authoritas Alvari apud serenam conscientiam, nullum Privilegium pro Fratribus Minoribus admittentis exceptô privilegiô confirmationis Regulæ suæ: intelligenda est enim dicta authoritas de privilegiis, quæ vel Paupertati, vel humilitati contradicunt. Similis est responsio ad authoritatem S. Francisci, seriò prohibentis in suo Testamento, ne Fratres petere audeant aliquam litteram in Curia Romana, neque pro Ecclesia &c. neque sub specie prædicationis: quia; præterquam quod testamentum non obligat, intentio S. Patris ea duntàxat fuit, quod invitis Dominis & incolîs, non debeant Fratres quovis prætextu, etiam prædicationis, obtinere possessionem, vel usum alicujus Ecclesiæ, vel loci, subnixi authoritate Superiori Papæ. Undè peccant, qui violentiâ, quasi armata manu, loca occupant, cruces plantant &c.

De

## De Proprietate in usu Simplici Rerum.

### QUÆSTIO I.

An in ejusmodi usu possit esse proprietas? *Responsio*: Potest quandò contra voluntatem, vel Domini, vel Superioris, illum sibi Frater vendicat.

### QUÆSTIO II.

An Fratribus per, mitti possit particularis usus librorum, vel utensilium? *Responsio*: Non solùm Prælatus, sed totus quoque Ordo non potest *indeterminatè* & *irrevocabilitèr* concedere Fratri Minori certum rerum usum, ut scilicèt utatur rebus proùt vult, suisque provideat necessitatibus: sed benè possunt Prælati concedere *determinate* & *revocabiliter*, usum particularem certarum rerum, puta librorum, utensilium; imò & permittere aliquandò recursum pro talibus, servatîs servandîs: Quanquàm id non expediat bono Religionis, in quo omnia debent esse Communia.

## De nonnullis actibus Paupertatem concernentibus.

### QUÆSTIO I.

An liceat Fratri Minori emere? *Responsio*: Omnis actus in contractibus, qui nul-

nullam dicit obligationem civilem, proprietatem, aut pecuniæ usum, Fratribus Minoribus licitus est. Undè sicut emere *in rigore* Fratribus non licet, hoc est, *contractu civili*, rei alicujus *proprietatem*, mediante pretio pecuniario, comparare: ita emere *latissimo modo* licet iisdem Fratribus, hoc est; de pretio, *naturali judicio* loqui, sine obligatione ulla civili, verùm in vigore fidelitatis purè naturalis se obligando, quod licitô modô solutionem procurare velint: atque ex hac intentione, potest etiam Frater Minor solutionem actu procurare per personas idoneas, in casibus supra recensitis.

Unde peccant in hoc puncto. *Primò*: Qui conventione, civilitèr obligatoriâ; de pretio rei paciscuntur. *Secundò*: Qui velùt Domini emunt, & Schedulas civiliter obligatorias præstant. *Tertiò*: Qui solutionem sua authoritate mandant. *Quartò*: Qui terminis, ac verbis proprietatem sonantibus, scandalosè utuntur, etsi in mente benè sentiant.

## QUÆSTIO II.

An liceat vendere? *Responsio*; Non licet vendere, nisi venditione *largè*

 sumpta,

ſumpta, & ſervatîs conditionibus, quas circà emptionem præmiſimus: ſicut enim res omnes tam mobiles quam immobiles acceptari â Fratribus poſſunt, poſita vera neceſſitate, præteritâ, præſenti vel imminente; ita dùm Fratribus deſinunt eſſe utiles, poſſunt per Syndicum nomine Romanæ Eccleſiæ, vel donantium (ſi ſibi Dominium reſervaverint) æſtimatô pretiô vendi, & in res magis utiles ac neceſſarias Fratribus, earum pretium expendi. Lege B. Capiſtrani verba, Capite 6. *Caveant Fratres, ne panem, vel vinum, vel alia mendicata, ſive oblata pro uſu Fratrum detrahant, aut vendant, aut vendi faciant, ſive pro re alia permutent, vel pro ſatisfactione facienda, vel fienda cuipiam tradant, ſed per alios modos licitos ſatisfieri procurent illis, quibus ſatisfactio fuerat impendenda.*

## QUÆSTIO III.

An aliquid liceat ea intentione mendicare, ut poſteà vendatur? *Reſponſio*: Non licet; niſi forſan in caſibus, quibus licet ad pecuniarias eleëmoſynas recurrere: nimirùm in vera, præſente vel immi-

nen-

nente necessitate. Undè dum laborat Conventus penuria butyri, vel panni, possum mendicare granum in proportionata quantitate, ut transmutetur, & illa Conventui pro tali comparentur, quæ sunt necessariissima.

## QUÆSTIO IV.

Quid interest inter res sic emendicatas, & pecuniam? *Responsio*: Multum plane interest: Nam pecuniæ usus est per se, ac omnino Fratribus interdictus, quemadmodum & immediata ejusdem receptio: res autem sic procuratas, vel legatas, possunt Fratres recipere, & apud se retinere, donec per idoneas Personas aliò applicentur. Et licèt Nicolaus III. receptionem rerum, eo animo, ut divendantur, prohibere videatur *Artic.* 3. §. *insupèr*. Se tamen mox clarissimè explicat, ne scilicèt, hoc fiat, ad ullam superfluitatem, divitias, sive copiam, quæ deroget Paupertati.

## QUÆSTIO V.

Quomodò se in tali actu Fratres gerere debeant? *Responsio*: *Primò*. Ut nec per ipsos, nec eorum nomine, res divendan-

dantur. *Secundò.* Ut non concurrant ad aliquem actum juris, vel proprietatis, paciſcendo, ſe obligando, aut pretium pecuniarum recipiendo. *Tertiò.* Ut non recipiant res promiſcuè, ut vendentur, niſi in caſibus ùt ſuprà *Quartò.* Denique, ut nihil vendi permittant pro rebus curioſis, ſuperfluis, pretioſis; vel quæ ſapiant copiam, vel Theſaurizationem.

*Abuſus.*

Peccant igitur mortaliter Fratres, *Primò*: qui res quaſcunque ſinè delectu, absque vera neceſſitate recipiunt, ut vendantur. *Secundò*: Qui pretium rerum ſic venditarum in ſuperfluos uſus expendi curant. *Tertiò*: Qui quovis modo paciſcuntur, & contrahunt. Ac *Quartò*: qui indecentibus verbis ſtatui Fratrum, in eiusmodi actibus utuntur.

## QUÆSTIO VI.

An poſſint Fratres res commutare? *Reſponſio*: Quamvis commutationis civilis, quæ obligationem civilem, & Dominium includit, non poſſint eſſe capaces Fratres Minores, tamen licita illis eſt commutatio naturalis, quâ naturali gratitudi-

ne

ne res utrimque veluti compensantur, ad eum ferè modum, quô duo *vgr.* pauperes sibi ad invicem ex iis quæ mendicaverunt, communicant, dum alter qui ab altero panem recipit, alteri panem cum carne compensat; Hinc non solum Generales, & Provinciales, sed & alii inferiores (de ipsorum tamen licentia) possunt hac modalitate, tam intra, quàm extra ordinem; res (quoties expedierit) permutare, absque ullo etiam interventu Syndici, nisi expressa obstaret prohibitio donantis.

## QUÆSTIO VII.

An Fratres possint res aliquas locare?

*Responsio*: Per se, vel nomine suo rem aliquam locare, neque active, necque passivè Fratribus est licitum; quamvis Syndicus eorum possit nonnunquam pro brevi, eoque determinato tempore (ne censûs, aut reditûs naturam redoleat) quamdiu scilicet ipsis utilis non erit, rem aliquam locare. Quin imò possunt & amici Spirituales, sinè interventu Fratrum, ad usum tamen ipsorum, locum aliquem passivè locare, ut Fratres nudum usum facti ex eodem retineant.

## QUÆSTIO VIII.

An Fratres possint mutuare, oppignorare, commodare, pacta, conventiones, obligationesque facere, ac debita contrahere? *Responsio*: Fratres possunt omnia mox ennumerata si latè sumantur, seu quatenus solam fidelitatem humanam dicunt, & æquitatem naturalem, nullumque jus, aut obligationem civilem in personis respective inducunt, hoc unico attento, ut in materia competenti fiant, & absque scandalo; Nam etsi Fratres capaces non sint juris, & obligationis civilis, sunt tamen capaces, imò tenentur ad æquitatem naturalem. Talibus tamen tractatibus intricari, res plena periculi est, ut adeò consultius sit, conscientiam in ejusmodi discrimina non intromittere, quantum fieri potest, quod si verò fieri non possit, ita se Fratres verbis, & factis gerere debent, ut omnibus patere possit, illos non agere civiliter, necque in rebus quidquam juris habere.

## QUÆSTIO IX.

Num Fratres possint quidpiam donare? *Responsio*: Possunt Fratres, legitima

supe-

ſuperiorum ( ad quos ſpectat ) authoritate interveniente, donare intra ordinem, quæ ipſorum uſibus licita ſunt; imò & extra ordinem ex conceſſione Nicolai III. obſervatîs ſequentibûs conditionibus. *Prima*: ut res quæ datur ſit mobilis. *Secunda*: ut ſit utilis, & parum valens. *Tertia*, ut judicium de vilitate, & valore, à Provinciali Capitulo, vel Generali proveniat. Ac *Quarta* demum, ut donatio fiat cum licentia obtenta à ſuperiore. Atque hinc dumodo adſit ſuperioris licentia, abſitque ſcandalum, poſſunt Fratres Minores, quaslibet res ( ſolâ pecuniâ exceptâ ) præſertim ex commiſſione, & authoritate donantium Dominorum alteri donare, donatione ſcilicet largè ſumpta cum in rigore civili donare, utique Fratribus competere non poſſit, in rigore enim donare, eſt ſuo nomine jus rei alicujus in alterum transferre: Fratres porò jus nullum habere poſſunt; igitur nec dare, aut transferre, quod ipſi non habent.

## QUÆSTIO X.

An poſſint Fratres in partem mercedis, ſuis operariis victum dare? *Reſponſio*: Civiliter paciſci Fratribus circa hoc non licet;

cet; licet id tamen Syndicis: Imo etiam Fratres possunt ex æquitate quadam naturali victum dare operariis suis, aut ex gratitudine; quamquam id frequenter non expediat, facilè enim abutuntur eleëmosynîs externi, prodigaliter ipsas consummendo, vel etiam scandalisantur, *saltem* indirecte, non æstimantes paupertatem nostram.

## QUÆSTIO XI.

Num liceat Fratribus certos habere redditus? *Responsio*: Non licet Fratribus, seu *Formales*, seu *Virtuales* habere redditus, necque ea, quæ ad naturam redditus accedunt, uti sunt Legata perpetua, oves, boves, apiaria, columbaria &c. quæ fructum aliquem constantem in annos, & annos reddunt, quia *talia* vel mendicitatem tollunt, vel quandam certitudinem præbent.

## QUÆSTIO XII.

Num igitur nullô planè modô liceat nutrire oves, boves, columbas &c.? *Responsio*: Non est per se illicitum nutrire aliquot *vgr.* porcos, unum, aut alte-

rum

rum bovem, unam, aut alteram ovem, ad mactandum ad aliquod tempus pro sublevamine rationabili, & congrua necessitate: sed illicitum est dumtaxat similia in magno numero nutrire ad fructificandum, & ad vendendum; nam hoc haberet speciem redditûs, sive deinde per Fratres fieret, sive per Sæculares.

## QUÆSTIO XIII.

An Fratres possint permittere se Hæredes institui? *Responsio*: Ex Declarat. Clementis V. Non possunt; quia hæreditas jus quoddam dicit.

## QUÆSTIO XIV.

An legata in Testamentis Fratres audeant recipere? *Responsio*: Nicolaus III. declaravit id licere Fratribus, dumodo modô congruô, & Fratribus licito Legata facta sint. Videlicet *Primò*: Ut per modum puræ eleëmosynæ, sine ullo jure Fratrum facta sint. *Secundò*: Ut res quæ Testamento relinquitur, vel in se usibus Fratrum cedere possit, vel verò ex commissione Testatoris, in rem Fratribus utilem, & necessariam converti.

*Tertiò*: Ut per tale Legatum non tollatur

Fratrum mendicitas, aut ne gravem jacturam patiatur. *Quartò* denique, ut ex magna quantitate non possit præsumi fieri in fraudem hæredum, ex quo sinister oculus adversus Fratres conciperetur.

## QUÆSTIO XV.

Num liceat annuum legatum recipere? *Responsio*: Non licet, necque directè, necque indirectè. Non licet *dirèctè*, si legatum fiat in personam Fratrum *vgr.* Relinquo Fratribus quotannis decem mensuras tritici &c. Necque licet *indirectè*, si *vgr.* Hæredibus relinquerentur bona, cum onere dandi Fratribus quotannis decem mensuras tritici &c. nam uterque modus redditum sapit. Quamquam posteriori modo, acceptare possint Fratres Legatum per modum puræ eleëmosynæ, & ad breve tempus, quod passim decem annorum spatiô definitur.

## QUÆSTIO XVI.

Quid si in Legato nulla conditio exprimatur? *Responsio*: Tunc juxta Declarationem Nicolai III. supponendum est, Legatum pro Fratribus licitô modô factum. Quodsi verò ex ignorantia Legantis ali-

qua-

qua illicita conditio apponeretur; possunt hæredes, aut Executores, aut vero Episcopus ipsam mutare; atque si mutare noluerint, abstinendum erit Fratribus à tali Legato.

## QUÆSTIO XVII.

Quid cum peculio, & rebus mobilibus, quæ post Fratres mortuos reperiuntur, seu illas demum apud se habuerint, seu apud alios illicitè depositas? *Responsio:* Pecuniam hoc modo repertam, nullô modô potest Guardianus sibi, aut Fratribus applicare, verùm resignanda est in manus Domini, si sciatur à quo Frater habuerit, si verò non sciatur, in manus Episcopi, ut ille prout voluerit, cum talis modi pecunia ordinet. Res autem mobiles, supposito quod Donator non sit contrarius, cedunt in usum ordinis.

## QUÆSTIO XVIII.

An Fratres Minores teneantur ad mendicationem? *Responsio:* Fratres Minores tenentur ad aliqualem mendicationem generatim acceptam, quâ eâ, quæ quovis modô donantur, Ut mendici per modum puræ eleëmosynæ recipiunt; non tenentur

tur autem ad mendicationem ſtrictè ſumptam, quæ fit oſtiatim; quamvis & mendicatio oſtiaria, ordini Fratrum Minorum multùm meritoria ſit, & decora.

## QUÆSTIO XIX.

Num liceat Fratribus proviſiones facere? *Reſponſio*: Non licet, niſi tunc tantùm, cùm eſſet multùm credibile ex jam expertis, quod non poſſent vitæ neceſſaria aliter invenire. Quapropter Clemens V. tres pro hoc conditiones appoſuit. *Prima*: ut non ſit timor levis, ſed neceſſitas futura quodam experimento conſtet. *Secunda*: Ut proviſio non tollat omnem omnino mendicationem. *Tertia* denique, ut talis Proviſio fiat de Miniſtrorum, cum Guardiani, & duorum Diſcretorum Sacerdotum judicio. Peccant proinde, qui non tantùm ad annum, ſed etiam ad annos ſibi provident.

## QUÆSTIO XX.

In quo conſiſtat celſitudo Paupertatis Fratrum Minorum? *Reſponſio*: In tribus. *Primò*: In omnimoda abdicatione omnis dominii, & juris tam ad rem, quàm ad uſum rei, idque tam in particulari, quàm

in

in communi. *Secundò*: in arctò, & paupere usu rerum, nec non abdicatione omnis superflui, curiosi, ac pretiosi, de quo judicium facere ad Ministros & custodes pertinet. *Tertiò* demum in eo, quod omnia quæcunque Fratres recipiunt, ut Mendici recipiant, nihil ut debitum, quamvis ex laboritio recipiant.

## QUÆSTIO XXI.

An ex Charitate teneantur sibi Fratres invicem servire etiam in morbis contagiosis? *Responsio*: Utique. nam ordo Seraphicus, ordo potissimùm Charitatis est, hinc, si quipiam, tunc maximè Fratres Minores obligantur sibi invicem ad præstanda tam communia, quàm extra ordinaria quæque Charitatis officia, in quibuscunque, etiam contagiosis casibus.

## IN CAPUT SEPTIMUM.
### De Casuum reservatione.

## QUÆSTIO I.

Penes quos sit potestas reservandi in ordine casus? *Responsio*: Ex vi Regulæ penes Capitula Generalia, vel Provincialia: ex vi autem muneris Postoralis penes

nes Generales quoad totum Ordinem, ac etiam penes Provinciales quoad ſuas Provincias; ut adeo hac in re Guardianorum conſtricta ſit poteſtas.

## QUÆSTIO II.

An à recenſitis Prælatis, poſſint pro libitu reſervari quicunque caſus? *Reſponſio*: Non poſſunt per ſe, niſi peccata patenter mortalia, & Caſus in Decreto Clementis VIII. expreſſos; *per accidens* tamen poſſunt etiam alios caſus reſervare, ſi vergant in magnum Religionis detrimentum, aut animarum, ſed non aliter, quàm Generalis Capituli in toto ordine, aut Provincialis Capituli in Provincia maturâ diſcuſſione, & aſſenſu. Penes quod tamen advertendum, ne facile ſuperiores aliquem caſum reſervent, niſi atrocem admodum, & gravem, ac perniciosam omnino conſequentiam induceret. Porrò caſus in Decreto Clementis VIII. reſervati ſunt undecim, ſequenti ordine: *Primus*: Veneficia, incantationes, & ſortilegia. *Secundus*: Apoſtaſia in Religione, ſive habitu dimiſſo, ſive retento, quando eo pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu Conven-

ventûs fiat egreſſio. *Tertius*: Nocturnus, & furtivus è Monaſterio exitus, etſi non fiat animo apoſtatandi. *Quartus*: tanta proprietas contra votum Paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. *Quintus*: Lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus. *Sextus*: Occiſio, aut vulneratio, ſeu gravis percuſſio, cujuscunque perſonæ. *Septimus*. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio Litterarum à ſuperioribus ad inferiores, aut ab his ad illos. *Octavus*: Falſum juramentum in judicio Regulari, ſeu legitimo. *Nonus*. Procuratio, auxilium, aut conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto. *Decimus*: Falſificatio manûs, aut Sigilli Officialium Monaſterii, aut Conventûs. *Undecimus*: Furtum de rebus Monaſterii, aut Conventûs in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale. Quantum porrò ad horum caſuum elucidationem attinet, ea hoc in compendio conſultò prætermittitur, cum magis ad Confeſſarios, quàm alios pertinere dignoſcatur, poſſitque in ipſo Marchantio ſuccinctè legi.

QUÆ-

## QUÆSTIO III.

Qualis recursus esse debeat pro casibus reservatis? *Responsio*: Initiô nascentis Religionis tenebantur Fratres ex vi Regulæ pro peccatis publicis reservatis personaliter recurrere, qualis tamen personalis recursus modò non tenet, nisi denuò de novo statuatur. Cæterùm pro peccatis reservatis Ministris Provincialibus, tenentur Fratres jure divino ad illos, vel ad eorum delegatos accedere, quamprimùm ordinato, & debito modo fieri potest, cum cuilibet incumbat se se à mortali peccato quantocitius expedire.

## QUÆSTIO IV.

Quis possit à peccatis reservatis absolvere? *Responsio*: Soli Prælati Sacerdotes, seu Superiores, quibus talismodi casus sunt reservati, possunt per se, aut per delegatos suos à Casibus reservatis absolvere. Quin imo de consuetudine universali, in quibusdam Provinciis, possunt & Guardiani, ac in eorum absentia Vicarii, seu Præsidentes; decet autem Superiores, ut licentiam ab hujusmodi peccatis absolvendi,

vendi, Confessariis pro quocunque pœnitente postulantibus, prompte tribuant.

## QUÆSTIO V.

An Superiores ordinis possint hanc authoritatem alicui Confessario extra ordinem delegare? *Responsio*: Licet ex vi Regulæ id non sit prohibitum; tamen jure humano cautum est, ne ullus Confessarius Sæcularis, aut Regularis etiam alterius Religionis quantumcunque ab ordinario approbatus, possit Fratrum Minorum Confessiones, invitîs eorum Prælatis excipere. Ast hoc etiam haud obstante, potest tamen extraneis subinde per Provinciales Ministros, talis authoritas delegari ex gravi causa. Quin imò ejusmodi facultas extraneis ipso facto concessa censetur, quoties Frater Minor ex Privilegio, licite extra ordinem confitetur, puta in casibus necessitatis, *vgr.* in articulo mortis, in gravi infirmitate, in itinere, ac dum ad Confessionem obligatur, & deest sui ordinis Sacerdos, dumodo id in fraudem non fiat, sed vel ex communi praxi cum legali superioris consensu, vel si id communiter non

admitteretur, ſaltem cum præmonitione facta ſuperioris ante iter adgreſſum.

## QUÆSTIO VI.

An Superiores Ordinis poſſint abſolvere à caſibus Papæ reſervatis? *Reſponſio*: Poſſunt, exceptis quatuor, pro quibus merito ad Sanctam Sedem recurrendum eſſet. *Primò*: Si ſint hæretici relapſi. *Secundò*: Si Schiſmatici: *Tertiò*: Si falsificatores Litterarum Apoſtolicarum. *Quartò* denique: Si Delatores prohibitorum ad infideles. In hoc puncto porrò, Superiorum nomine intelligunrur non tantùm Provinciales, ſed etiam Guardiani, ac in horum abſentia Vicarii, vel Præſidentes.

# IN CAPUT OCTAVUM.
## De Miniſtro Generali.

## QUÆSTIO I.

An plures poſſint eſſe ſimul Miniſtri Generales Ordinis Minorum? *Reſponſio*: Ex vi Regulæ non poſſunt; qualiter autem nunc ſint Generales juxta diverſas Reformationum familias, dictum eſt *in Caput primum*.

QUÆ-

## QUÆSTIO II.

Quid de Fraternitate ordinis, & ejus ſciſſione? *Reſponſio*: Sanctus Pater FRANCISCUS Ordinem à ſe inſtitutum vocat Fraternitatem, ut qui in illum cooptantur, ſemper memores vivant comunis vinculi charitatis. Symbolum vero Speciale hujus Faternitatis eſt: ALTISIMA PAUPERTAS de qua ſupra. Per hanc enim non ſolùm ab alio quovis ordine, ſed & filii S. Franciſci ab invicem, veri ſcilicet à falſis, diſcernuntur. Num autem omnes, qui ſub ordine Fratrum Minorum, & S. Franciſci Regula militant, ad hanc Fraternitatem æquè pertineant? qui ſcire voluerit ex aſſe, relegat hiſtoricam narrationem, quam in hoc ipſum *Caput octavum* Pater Marchantius, à prima Cæſarenorum reſormatione, uſque ad tempora Leonis X. exquiſitè deducit.

## De Electione, & Depoſitione Generalis Miniſtri.

## QUÆSTIO I.

Num Generalis Miniſter debeat eſſe perpatuus? *Reſponſio*: Ex verbis illis Regulæ: *Quo decedente* &c.: videretur

quod ſic; ex ordinatione tamen ſummorum Pontificum, jam nullus poteſt ultra ſexennium Ordini præeſſe, niſi ſpecialis accedat diſpenſatio.

## QUÆSTIO II.

A Quibus, ubi, & quomodo eligendus ſit Miniſter Generalis? *Reſponſio*: Miniſter Generalis eligi debet ex vi Regulæ à ſolis Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus, aut eorum vices gerentibus & quidem in Loco Capituli Generalis ubicumque à Miniſtro Generali fuerit ordinatum: nècque alio tempore quantum tenor Regulæ exprimit, quàm in Pentecoſte, ſive ſabbatho pentecoſtes. In quantum quidem perſonas eligentium concernit, variæ jam ſæpius factæ ſunt mutationes , eo tamen ſemper in indiſputato conſiſtente, quod penes quoſcunque electio ſtat Miniſtri Generalis, penes eoſdem & maneat ejuſdem depoſitio, ſi majori ſaltem parti conſtaret de ejuſdem inſufficientia, aut nimia oneroſitate &c.

# IN CAPUT NONUM.

## De Prædicatoribus.

### QUÆSTIO I.

An Prædicatores Ordinis Minorum, debeant ex vi Regulæ ab Episcopis approbari? *Responsio*: Cum ex vi Regulæ sufficiat, ut eis non contradicatur, sequitur quod Fratres Minores ad prædicandum, approbationem ab Episcopo ne quidem petere teneantur. Ex præscripto nihilominus Concilii Tridentini prætenditur approbatio ab Episcopo, ut in Ecclesiis quæ sui Ordinis non sunt prædicent, quamvis pro Ecclesiis sui ordinis sufficiat si Benedictio ab Episcopo dumtaxat petita fuerit. Penes quæ singula tamen advertendum, quod Concilium Tridentinum non ubique sit æqualiter receptum.

### QUÆSTIO II.

Num de sola Parochi licentia fratribus Minoribus prædicare liceat? *Responsio*: secundum Roderiquez licet Parocho bis, tèrve dare licentiam Concionatori notori è docto ad prædicandum in sua Ecclesia absque Episcopi Licentia, & approbatione.

## QUÆSTIO III.

An nunquam liceat prædicare contradicente Episcopo? *Responsio*: Nunquam, nisi majore puta summi Pontificis authoritate fulciatur. Quodsi verò concedente Episcopo Parochus contradicat, *liberum* erit Fratri Minori prædicare contra voluntatem Parochi; ast nihilominus cedendum esset ex modestia contradicenti, juxta monitum S. Bonaventuræ, ne scandalum oriatur.

## QUÆSTIO IV.

Quis Superior in ordine approbare possit Prædicatores? *Responsio*: Ex tenore Regulæ, solus quidem Generalis ordinaria potestate id potest. Ast ampliatô Fratrum numerô, concessa est hæc potestas Ministris Provincialibus, non tamen solis, sed cum Diffinitoribus simul. Ita Nicolaus III. quamquam Julius II. etiam solis Ministris per se istiusmodi facultatem attribuerit. Cæterùm verò ad prædicationem deputandi prius examinari debent, ut constet de eorum idoneitate; super quo admittentium conscientiæ onerantur.

QUÆ-

## QUÆSTIO V.

Qualiter Fratres debeant prædicare? *Responsio*: Quinque potissimùm conditiones, quas S. Franciscus in prædicatione suorum Fratrum requirit, solicitè obseruari debent, *Prima* est: ut sint examinata eorum eloquia, id est, debito studio, ad regulas artis composita; non ex improuiso, temeréque sinè ulla deliberatione prolata; aut verò consarcinatè hinc inde ex libris conscripta, sine ulla connexione, aut solidæ doctrinæ deductione; utque eloquia eorum non sint nimium noua, aut suspecta, aut fors planè erronea. *Secunda* Ut sint Casta; non impudica, non scurrilia, non otiosa, non ad risum prouocantia. *Tertia*: Ut sint ad ædificationem, & utilitatem populi, non ad fastum, & vanitatem, aut quæstum prædicantis. *Quarta* Ut annuntient uitia, & uirtutes, pænam & gloriam, id est doctrinam moralem. *Quinta*: denique, ut fiant cum breuitate Sermonis, id est concisè, & clarè, quantum necessarium est ad propositæ doctrinæ deductionem, sinè extrauagantibus ac superfluis cogitatibus, qui tædium potius, quàm motum pariant in auditoribus.

# IN CAPUT DECIMUM.

## De Munere Seu Officio Superiorum.

### QUÆSTIO I.

Quotduplicia munia ſint ſuperiorum? *Reſponſio*: Quadruplicia, videlicet: Viſitare, monere, Corrigere, & præcipere.

Ad quæ quatuor munia obligantur ſuperiores non tam ex vi Regulæ, quàm jure divino, & naturali, ita, ut mortalem culpam incurrant toties, quoties ex horum defectu, malum aliquod graue ſubdito, aut relaxationem in Ordine euenire contingat.

### QUÆSTIO II.

Quid Præcepti nomine intelligatur? *Reſponſio*: Multiplicia ſunt præcepta Fratrem minorem concenentia. Nam vel ſunt præcepta Regulæ, & hæc obtinent uim legis, ac obligant ſemper, ita ut deliberata tranſgreſſio ſit mortalis ſi fiat contra præceptum inexcuſabiliter, & contra totum finem præcepti, & niſi leuitas materiæ excuſet.

Vel ſunt præcepta ex Declarationibus Pontificum, & tunc legis quidem etiam uim habent, ſed declarativæ duntaxat, ut adeo ſub mortali non obligent, niſi quatenus

tenus vel præceptum Regulæ graviter obligans, explicant, uel quatenus in præcepto Regulæ sub mortali obligante, virtualiter continentur. Vel denique sunt præcepta duntaxat Superiorum, quæ nunquam ad vim legis perpetuò obligantis assurgere possunt; sed obligant solùm quamdiu durat officium talis superioris, per modum simplicis mandati, aut verò per modum statuti, secundum qualitatem materiæ & intentionem præcipientis. Legis enim, & statuti, seu præcepti juxta bonam moralem Theologiam magnum discrimen est, neque omnis qui præceptum, seu statutum condere potest; potest similiter ferre legem: Quare in hoc puncto bona doctrina Moralis consulenda est.

## QUÆSTIO III.

Num Pontifex dispensare possit in Præceptis Regulæ? *Responsio*: Etsi hoc Pontifex absdubiè possit, non tenerentur tamen Fratres Minores talismodi dispensationem acceptare, nisi Pontifex dispensationi præceptum adderet.

## QUÆSTIO IV.

An idem possint Superiores? *Responsio*: S. Bonaventura probè præcepta Regulæ in tres classes distinquit; alia quippe sunt præcepta *manifesta*, , *& emminentia*, qualia sunt principalia illa octo inhibitoria: alia sunt his primariis *æquipollentia*, & alia sunt tantùm præcepti *vim habentia*. In præcepta primi, & secundi generis, nulla cadere potest dispensatio authoritate superiorum; in præceptis tamen tertii generis dispensare possunt superiores ex causa rationabili, & pro casu quopiam particulari, attenta scilicet utilitate siue corporali, siue spirituali, particulari, aut etiam comuni: Hujusmodi sunt pluralitas tunicarum, uilitas uestium, usus calceamentorum, &c.

## QUÆSTIO V.

An superior possit quidpiam præcipere sub peccato mortali? *Responsio*: Potest etiam ultra ea, quæ in Regula continentur; sed pro hoc duo requiruntur, intentio nimirum præcipientis cognita, & materiæ gravitas. Materiæ gravitas attenditur penes gravitatem mali, quod secus eveniret, aut gravitatem boni, quod secus emane-

emaneret, & relinquitur prudenti judicio præcipientis. De intentione verò Prælati constabit subdito, si peccatum mortale expresserit, vel præcipiat per Obedientiam, vel sub excommunicationis poena. Jam uerò si superior perse potest sub reatu culpæ mortalis præcipere, sequitur quod statuta ordinis, quæ à toto Corpore fiunt multò magis obligare possint ad culpam mortalem, pro quo in ipso commentario Patris Marchant plura legi possunt, tam quoad obligationem præceptorum, quæ sunt *contra*, *præter*, & *supra* Regulam, quàm quoad porhibitionem Libertatum Regulæ, ac impositionem dispensationum sub præcepto, & quoad multas pulchras cautellas pro superioribus.

## QUÆSTIO VI.

In quibus Fratres Superioribus obedire teneantur? *Responsio*: In omnibus, quæ Superiores legitimè præcipiunt, & eò planè modô quô præcipiunt, illis duntaxat exceptis, quæ contra animam, aut Regulam esse dignoscerentur: In casu porrò quo dubitaret subditus, num præceptum sit contra animam, aut Regulam, teneretur stare superioris judicio. De

De Recurſu ad Miniſtros.

## QUÆSTIO I.

Quando Fratres poſſunt recurrere ad Miniſtros? *Reſponſio*: *Primò*: Si in uno loco Spiritualiter Regulam obſervare non poſſunt; Et *Secundò*, ſi hujusmodi impoſſibilitatem verè ſciant, & ſine tergiverſatione cognoſcant.

## QUÆSTIO II.

Quandonam cenſeantur Fratres non poſſe Regulam ſpiritualiter obſeruare? *Reſponſio*: tunc generaliter, quando ratione loci, vel eorum qui in loco ſunt, contra animam, & Regulam, ac ejus puritatem peccare cogerentur, aut uero propter continua incentiua, forent in continuo peccandi periculo, ut *Vgr.* ſi loco eſſet annexa proprietas, uel continua cura animarum, obligatio proles baptizandi, ſocietas nimia, & facilè praua cum mulieribus, aut his ſimilia. Circa quod tamen advertendum *Primo* quod ſi non oriatur periculum peccati ex parte loci, ſiue ex ipſa natura occaſionum in tali loco exiſtentium! ſed fors duntaxat ex fragilitate, & malitia Fratris: non eſſe locum tunc recurſui.

*Secun-*

*Secundò*: Miniſtrum non teneri ad annuendum Fratribus, ex leuitate, uel malitia fingentibus occaſionem recurſûs ut ſcilicet ſenſualitati per opportunionem locum ſatisfacere poſſint. *Tertiò* denique, Non debere Fratrem recurrere, vel audiri ob ſolam prefectionem ſupererogatoriam, quam ſibi alibi majorem proponeret.

## QUÆSTIO III.

An iſtiuſmodi recurſus ſit ſimpliciter neceſſarius? *Reſponſio*: Toties non eſt neceſſarius, quoties inferiores officiales, mederi poſſe, & uelle uidentur grauamini recurrere uolentis Fratris. Imò toties non eſt opus Fratri perſonaliter recurrere quoties aliàs per nuntium, uel literas, ſufficienter malo obuiari poteſt; quotſi enim nulla alia modalitate mederi poſſet, tunc ſeruatâ ſtatutorum ordinis formá, liceret recurrere.

## QUÆSTIO IV.

Qualiter Miniſtri recipere debeant ad ſè recurrentes? *Reſponſio*: Benignè, charitatiuè, & cum familiaritate, ut (juxta S. Bonauenturam Benignitas in vultu,

Cha-

Charitas in corde, ac omnis omninò familiaritas in Sermone elucescat.

## De Studio Litterarum.

### QUÆSTIO I.

An liceat Fratribus intendere Studio Litterarum? *Responsio*: Utique licet, imò commendabile est, nam admonitio illa Sancti Patris (*Et non current nescientes litteras, litteras discere*) tangit duntaxat specialiter Laicos, quorum vocatio cum studium non requirat, ab eis studendi tentationem procul arcere voluit; deinde damnat tantùm omnium, non tam studium, quàm inordinatum studendi modum, qui videlicet orationi, aut devotioni impedimentum præstaret.

### QUÆSTIO II.

An Oratio mentalis Fratribus Minoribus vi Regulæ præcipiatur? *Responsio*: non præcipitur ex ui Regulæ sed est ex mente Diui Francisci tamquam maximi momenti consilium, ut adeo illam Frater Minor magnopere intendere debeat, cùm in ea totius perfectionis spiritualis cardo consistere uideatur.

IN

# IN CAPUT UNDECIMUM
## De Suſpectis Conſortiis, & Conſiliis.

## QUÆSTIO I.

Quid nomine ſuſpecti Conſortii prohibeatur? *Reſponſio*: Hoc nomine prohibentur cuncta conſortia, uel coloquia, quæ eſto in ſe mala non eſſent, atque ab omni impudicitia aliena, ſed tamen ſunt cum ſequiori ſexu talia, quæ in aliquo, uel aliquibus nata eſſent generare impudicitiæ ſuſpicionem. Porrò ſuſpicio oritur ex uariis circumſtantiis. *Primò*: ex loco, ſi ſit ſolitarius, & obſcurus. *Secundo*: ex tempore, utpote nocturno. *Tertio*: ex modo, ut ſi quis uerſetur ſolus cum ſola. *Quartò*: ex geſtu, ut ſi ſit diſſolutio, uel nimia propinquitas. *Quintò*: ex quibuſdam actibus, ut ſi aſpectus fixi, & incontinentes ſint, uerba diſſoluta, aut immunditiam ſapientia, uel æquivoca, tactus manuum, joci nimii &c. *Sextò*, ad ſuſpicionem etiam facit ætas, & conditio tam mulieris, quàm loquentis; ac *Septimò*: etiam nimis magna frequentia ipſius Confeſſionis, ac aliorum colloquiorum. Penes quod notandum, quod non ſolum

inter

inter præſentes per Colloquia, ſed etiam inter abſentes per litteras, aut inter nuntios dari poſſint, quemadmodum immunditiæ incentiua, ita & ſuſpicionum objecta.

## De Ingreſſu Monaſteriorum Monialium.

### QUÆSTIO I.

Quid intelligatur nomine ingreſsûs? *Reſponſio*: Quidquid *Antonius Corduba*, & quidam fors alii circa hoc ſentiant, rationabilius tamen eſt ingreſſum cum acceſſu confundi non poſſe, ut adeo per *ingreſſum* ex Regula prohibitum, introgreſſus dumtaxat intra Monaſterium intelligatur, non autem *ſimplex acceſſus* ad portam, ad Crates, ad cubicula collocutoria, aliaque loca externa Monialium.

### QUÆSTIO II.

Quid intelligatur nomine Monaſterii? *Reſponſio*: Intelligitur ipſum dumtaxat internum Clauſtrum, domus, ac officinæ interiores, in quibus Moniales regulariter vivunt, ut, ſecundum communem conſuetudinem habentur *Dormitoria*, & *Oratoria*, ubi à Domitoriis ſunt ſeparata,

rata,

rata, *Refectoria*, item, ac *Operatoria*; non autem loca illa, ad quæ communiter quibuscunque Sæcularibus licitum est accedere.

## QUÆSTIO III.

Quot Moniales constituant Monasterium? *Responsio*: Satis est, si tres, aut quatuor Monachæ, seu Moniales (idem enim per utramque compellationem sumitur) vitam Regularem ab Ecclesia approbatam profitentes, aliquem locum inhabitent; nam tot ad inchoativum saltem Monasterium sufficiunt.

## QUÆSTIO IV.

Quid si una Monialis alicubi inclusa vivat? *Responsio*: Ad illam vi Regulæ non esset prohibitum Fratri Minori ingredi; sed posset tamen prohiberi, si motiva adessent suspecti consortii, ceu ex altero Regulæ præcepto.

## QUÆSTIO V.

An in aliquibus casibus licitum sit Fratribus Minoribus Monasteria Monialium ingredi? *Responsio*: Est licitum semper, & quoties illi casus emergunt, in

quibus Sedes Apostolica ingressum declaravit esse licitum, sunt porrò sequentes. *Primò*: Quoties ratio *veræ necessitatis* id exigit *vgr.* ad incendium extinquendum, ad fures, vel Latrones repellendos, ad quasvis violentias propulsandas, ad phreneticam continendam, aut ad infirmæ succurrendum per quodcunque obsequium necessarium, & ad alias denique similes operationes *necessarias* præstandas.

*Secundò*: Quoties id exposcit ratio *Gravis utilitatis* Monialium, *vgr.* pro aliquo labore, seu opere dirigendo, vel pro aliqua opera, industria, aut obsequio multùm Monialibus utili præstando, denique pro omni tali negotio, ratione cujus Sæcularis intra Monasterium ex Privilegio Pontificio ingredi potest, potest similiter Frater Minor intromitti simili Privilegio.

*Tertiò*: Quoties administrandorum *Sacramentorum*, & *Sacramentalium* ratio ingressum exigit. Atque taliter intrare possunt, quibus ex officio, vel speciali delectu competit Confessiones infirmarum decumbentium audire, Eucharistiam, &

Ex-

Extremam Unctionem ministrare, Exorcismos adhibere, sepulturam facere, & aliquas benedictiones, quæ extra clausuram fieri non possunt.

*Quartò* denique, ex Leone X. possunt Confessarii Monialium S. Claræ (*Ordinarii, vel delecti*) aut Superiores ingredi ad celebrandam Missam coram infirma, quando multo tempore ob ægritudinem Missam audire non potuit, & eam audire desiderat, modò sese malitiose non detinendo rectà vadat, & redeat Missâ absolutâ. Penes quæ probe advertendum, quod Pater Marchantius, Confessarii *socii Sacerdotis*, non Laici mentionem faciat, ut adsint agonizanti, unus enim sæpè non sufficit, & Laicus in tali casu nil oppitulari potest.

## QUÆSTIO VI.

Utrum Fratribus Minoribus prohibitum sit ad loca exteriora Monialium accedere, ut sunt porta, Crates, domus Locutorii &c.? *Responsio*: Nullum est præceptum Regulæ, nullum etiam Præceptum Pontificium, aut Ordinis statutum in vigore, ratione cujus sub culpa Fratribus

Minoribus Uniuersaliter prohiberetur etiam *formaliter* accedere ad omnia ea loca exteriora Monialium, ad quæ quicumque alii Sæculares passim accedunt, cùm ( *Ut Sanctorius & P. Kilianus Kaczenperger in sua expositione* ) Fratres vi Regulæ suæ, non possint esse deterioris conditionis, quam Sæculares; cùmque statuta, aut Decreta Pontificia, quæ similia fuerant, scilicet, prohibentia, revocata sint, per *Sixtum IV. in Bulla quæ incipit: circumspecta Sedis Apostolicæ*; illa autem, quæ posteriùs emanarunt, aut ubique promulgata non sint, aut non ubique recepta, aut certè non sub culpa obligantia. Quare ne confusiones suboriantur, ex hoc, aut illo statuto; hac, aut illa Constitutione Pontificia, attendendum est: An quæ emanârunt à Sede Apostolica, sint communi doctorum, & timoratorum consuetudine, & usu recepta? & num causa Constitutionis Pontificiæ pro tali, vel tali monasterio perinde subsistat? *Inordinatus* tamem accessus, in quibusdam Provinciis prudenter prohibitus est.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

Quid si contra præceptum Superiorum quis accedat? *Responsio*: Ex natura sua talis accessus, solum peccatum veniale erit; sed tamen ex tenore præcepti, aut intentione prohibentis, posset esse peccatum mortale, si scilicet Superior rationem haberet sub mortali prohibendi, puta ratione suspecti consortii; quamvis ad talismodi suspicionem concipiendam longè graviora motivà adesse debeant, quàm ad concipiendam ex conversatione cum personis Sæcularibus.

De Compaternitate.

*Quæstio unica*: An omnis omnino compaternitas Fratribus sit prohibita? *Responsio*: Duplex cum sit, una ex parte Baptizantis: altera ex parte Levantis: Prior ex charitate non prohibetur: altera verò prohibetur propter scandalum: atque hoc intelligendo de baptismo infantium, non de confirmatione Fratrum.

IN CAPUT DUODECIMUM.

De Missione Fratrum ad Infideles.

QUÆSTIO I.

An volentes ire ad Infideles, licentiam debeant à Ministris petere? *Respon-*

ſio: Quamvis ſit in libertate Fratrum velle ire, vel non ire ad infideles, etiam poſita inſpiratione divina, ire tamen non poſſunt ſine Miniſtrorum Provincialium licentia, quam Generales arctare poſſunt.

QUÆSTIO II.

Quæ idoneitas in eiusmodi Fratribus requiratur? *Reſponſio*: Ex *Sancto Bonaventura*, tales Fratres idonei ſint, id eſt ſufficienti ſcientiâ præditi, robuſti corpore, conſtantes in fide, probati, & ſemper irreprehenſibiliter converſati.

De Protectore Ordinis.

QUÆSTIO I.

An omnes Miniſtri teneantur petere Protectorem? :*Reſponſio*: Deficiente Generali Miniſtro in officio petendi, tenentur petere Miniſtri Provinciales. Quod ſi verò Pontifex renuat, Fratres facta petitione ſatisfecerunt præcepto.

QUÆSTIO II.

Quæ ſit authoritas Protectoris in Ordinem? *Reſponſio*: Authoritas Protectoris ad tres caſus eſt reſtricta: nimirum *in hæreſi*, quando deviarent Fratres, vel

Re-

Religio ab unitate fidei. *In Schismate*, si recederent ab obedientia erga summum Pontificem, seu Ecclesiam. Et postremò *in relaxatione* Religionis, si nimirum omnes, seu totum corpus decli-naret ab Observantia Regulæ.



# Ex Declarationibus Summorum Pontificum NICOLAII III. & CLEMENTIS V. ſuper Regulam Fratrum Minorum.

## EX NICOLAO III.

1*mò*. Quamvis in Regula ſit, ut *Fratres ſervent Sanctum Evangelium*; ad illa tamen ſolummodò Conſilia Evangelica obligantur, quæ in Regula præceptoriè, ſeu inhibitoriè ſub verbis æquipollentibus exprimuntur.

2*dò*. Præceptum Regulæ: *ut Fratres nihil ſibi approprient*, non intelligitur tantùm in particulari; ſed ut etiam in communi nihil ſibi proprium faciant.

3*tiò*. Ex hoc Fratres Deum non tentant, uod omnium rerum Dominio ſe abdiqent, cùm triplici illis modo vivere licicum ſit. Nempe 1*mò* ex ſponte oblatis. t2*dò* Ex mendicatis. 3*tiò* Ex laboritio: nec ideò ſe privant rebus neceſſariis, cum illis licitus ſit uſus neceſſariorum.

4*tò*. Proprietas rerum eis datarum, etlicitarum ſpectat ad Romanam Eccleſiam, & ſummum Pontificem, niſi ſibi Donatarius reſervaſſet.

5*tò*.

5*tò*. Loca, quæ plurium eleëmosynâ, aut empta, aut ædificata pro Fratribus, aut à pluribus in communi, vel particulari absquè proprietatis titulo Fratribus data, aut donata sunt spectant propriè ad Sedem Romanam.

6*tò*. Dum Monasteria, aut loca à certis personis, vel à certa quadam communitate ædificata, & Fratribus ad placitum tradita sunt, possunt Fratres inibi habitare, donec istis donantibus placuerit; dum autem eisdem, ut Fratres diutius ibi morentur, non placuerit, similia loca deserant; quia Pontifex eorundem non habet proprietatem, nisi specialiter cum illius consensu, & permissu fecissent accepta.

7*mò*. Ecclesiæ Oratoria, Cæmeteria, & singula ad hæc pertinentia; quocunquè tandem titulo Fratribus sint tradita, sunt Romanæ Sedis.

8*vò*. Fratribus non est licitus rerum omnium usus, adeóquè nec superflua supellex, nec aliæ res superfluæ, vel sub specie Providentiæ, seu provisionis in futurum, aut sub titulo divenditionis, aut distractionis; sed in omnibus eluceat pau-

 per-

pertas, & quod suarum rerum non sint Domini; sed nudæ necessitati deserviant.

*9nò*. Solorum Ministrorum, & custodum decernere est, quæ sint necessaria, nec ne? Ideoque ipsi Fratribus provideant secundum loca, tempora, & personas; ita tamen, ut in omnibus Sancta Paupertas elucescat.

*10mò*. Fratres non possunt pecuniam mutuò accipere, sed deficiente eleëmosyna, & præsente defectu rerum, quas mendicatò accipere non queunt, poterunt hunc defectum, seu rem necessariam ab alio interim accipere, dicendo, quod omnes vires impendere velint, ut solvatur; ita tamen, ùt nullô modô strictè, & propriè se obligent. Postmodùm poterunt commodè suam necessitatem suo amico spirituali aperire rogando, ut vel ipsemet pro ipsis illud debitum vellet exsolvere, vel per alium (nullô tamen nominatô) exsolvi locò sui facere.

*11mò*. Quod si Benefactor, aut non posset illud in propria persona, exsolvere, vel ipsemet sua sponte ad id faciendum denominare, & committere alteri, poterunt Fratres tutâ conscientiâ ei quem-

dam

clam proponere, qui id muneris in ſe ſuſcipiat.

12mò. Pecunia, quam ſubſtituti (id eſt quibus à Benefactoribus commiſſa eſt) aut Syndici pro Fratribus præ manibus habent, ſemper adhuc eſt donantium cum pleno jure, ita, ut juxta beneplacitum repetere poſſint, quouſque pro neceſſitatibus Fratrum non fuerit exſpenſa.

13tiò. Fratres nullum omninò Jurisdictionem, aut poteſtatem habent in ſuum ſubſtitutum qui pecunias locô aliorum expendit, nec poſſunt eum ad judicium citare, aut contra eum jus dicere; ſed ipſi tantùm neceſſitatem aperire poſſunt rogando, quatenus dignaretur ei providere: poſſunt quoquè eum monere, & movere eatenùs, quatenus voluntati Benefactorum ſatisfacere, & cum pecunia ita diſponere vellet, ſicut ei fuit demandatum.

14tò. Si ſimilis ſubſtitutus, aut renueret, aut ex infirmitate, abſentia, diſtantia locorum, vel alio quocumque tandem impedimento non poſſet in propria Perſona neceſſitati Fratrum ſatisfacere, ſicquè alium locò ſui à Fratribus denominari cupe-

peret, poterunt eidem alium proponere, qui ejus officium ageret. Hoc ipſum poſſent cum tertio, & quarto facere, donec tandem pecunia in licitos uſus fuerit converſa: quod idem cum imminentibus neceſſitatibus obſervandum eſt.

15*tò.* Quod ſi in Principio alicujus actionis, & neceſſitatis adverteretur, pecuniam per multorum manus exigentibûs ita circumſtantiis devolutum iri, Fratres, ſi tamen poſſibille fuerit, à donante poſtulent, ut tot ſubſtitutos accipere ſibi liceat, quot ad id negotii neceſſarii fuerint.

16*tò.* Si Fratres hunc Ordinem, & methodum ſervaverint, nullô penitus modô transgreſſores, & ſuæ Regulæ violatores teneri poſſunt, nec argui pecuniam accipere; cum eam nec ſibi approprient, nec tangant.

17*mò.* Si Dominus pecuniarum moreretur, prius autem ſubſtituto inſinuaſſet, ut liberè peccuniam pro Fratribus expendat, ſeu vivat ipſe, ſeu moriatur, poterit ſubſtitutus à Fratribus requiri, ut pecuniam præfatam pro hac, vel hac neceſſitate expendat, etiam contra hæredum voluntatem.

18*vò.*

18*vò*. Si igitur è Benefactoribus quipiam aliquam eleëmosynam pro Fratribus dederit, poterit ab iis requiri, ut dum ultra eam necessitatem quid remanserit, licentiam det illam restantiam, in alias necessitates convertendi, casu quo hoc renueret, eidem residuum restituatur.

19*nò*. Fratres scienter non plus mendicent, quàm necessarium sit.

20*mò*. Si Fratribus pecunia offertur absquè denominatione ad quos usus: intelligendum est, eam specificato mox modo expendi debere.

21*mò*. Si Fratribus quid legatur, quod iis non liceret, *vgr.* agri, vineæ colendæ, domus, eam non accipiant, ut colant, & usum fructum habeant, quod si ita legatur ut ea distrahant, & in licitos usus convertant, poterunt specificata accipere, si indigent, servato tamen ordine supra fato.

22*dò*. Si quid simpliciter illis legatur, absquè specificatione ad quos usus, omnimodè modò specificato ordine intelligatur.

23*tiò*. Quod si hæredes, aut executores Testamenti in exequendis debitis, le-

gatis,

gatis, aut implenda ultima voluntate testantiùm erga Fratres forent refractarii, possent tam à Spirituali, quàm Sæculari superioritate, cujus potissimum de jure interest, modô nobis per Regulam licitô, ad id compelli.

24*tò*. Mobilia ( quorum Dominium à donantibus non est reservatum ) possunt cum licentia Generalis, aut Provincialis in alia necessaria commutari.

25*tò*. Si quid tamen foret vendendum, id fiat per Syndicum Apostolicum, qui prætium recipiat, & postmodum expendat, prout necessitas Fratrum tulerit, ut prius declaratum.

26*tò*. Possunt Fratres res leves cum licentia suorum Prælatorum donare, tam inquàm extra ordinem, prout in Generali, aut Provinciali Capitulo fuerit ordinatum.

27*mò*. Quamvis in Regula dicatur, quod Fratres tantùm habeant unam tunicam cum, & aliam sinè capucio; possunt tamen Ministri eis plures concedere, si juxta necessitatem, & alias circumstantias eis in Domino ita visum fuerit expedire, cûm ita Regula dicat. *Cap.* 4.

28*vò*.

28vò. Miniſtri, & Cuſtodes poſſunt curam infirmorum, & veſtitûs Fratrum aliis commitere, & quibus commiſſum hoc fuerit, tenentur obedire.

29nò. Fratres qui ſervitio rerum Divinarum, ſtudiis, aliisquè ordinis ſervitiis, uti & vita contemplativa potiſſimùm occupantur non tenentur laboritiô corporali; benè autem ii, qui prædictis occupati non ſunt.

30mò. Prædicationis officium poſſunt etiam Provinciales Miniſtri in Capitulis Provincialibus cum Diffinitorio concedere, dare & iterum accipere quando id eis videbitur expedire.

31mò. Poteſtatem, quam habent Miniſtri Provinciales alios ad ordinem ſuſcipiendi, poſſunt Generales reſtringere & arctare; Vicarii Provinciales autem ex officio Vicario non gaudent poteſtate alios ſuſcipiendi, niſi eis ſpecialiter Commiſſa fuiſſet per Miniſtros, qui hoc etiam aliis poſſunt committere. Nec indiſcriminatim, & paſſim homines accipiantur ad ordinem, ſed ii qui prævidentur, & judicantur ordini profuturi.

32dò.

32*dò*. Quod Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum, intelligitur de omnibus Monasteriis fæminarum, & per Monasterium intelliguntur ambitus, & loca interiora; quo enim alii Sæculares licitè accedunt, etiam Fratres prædicationis, & eleëmosynæ ergò, cum licentia suorum superiorum accedere possunt, exceptis tamen semper Monasteriis ut dictum est.

33*tiò*. Testamentum S. Patris nostri non tenentur Fratres sub mortali servare, cum S. Pater illud fecerit absquè consensu Ministrorum Ordinis, & nullam potestatem habuerit in suos successores in Officio Generalatûs.

## EX CLEMENTE. V.

1*mò*. Fratres non tantùm sunt obligati ad tria vota essentialia, sed etiam ad omnia illa expressa in Regula, quæ conducunt ad hæc tria vota servanda.

2*dò*. Non omnia, quæ in Regula imperativis verbis posita sunt, obligant sub præcepto, id est, peccato mortali, esto Fratribus utile sit se ob puram Regulæ Observantiam ad illa servanda obligatos agnoscere, & censere.

3*tiò*.

3*tiò*. Æquipollentia verò præcepto in Regula, hoc eſt, quæ æquali vi ſonant cum præcepto, obligant ad peccatum mortale.

4*tò*. A toto Ordine in communi ſemper tenebatur, quod ubi hæc vox ( *teneantur* ) poſita eſt, aquipolleat præcepto.

5*tò*. Fratres non inducant, & perſuadeant, ut Novitii de rebus ſuis temporalibus aliquid ſibi relinquant, aut diſpertiantur, nec non à dandis circa diſtributionem conſiliis abſtineant, cum pro hoc ad timentes Deum ſtatûs alterius mitti debeant. Si tamen Novitius vellet Fratribus, ſicut aliis pauperibus de ſuo ſponte quid offerre, poſſunt illud Fratres pro ſua neceſſitate, ut ſuperiùs de pecunia dictum eſt, accipere, ita tamen parcè, ut Fratres judicari non poſſint, plus ad temporale ſuum bonum, quam ad animarum ſuarum ſalutem attendiſſe.

6*tò*. Fratres ſimilibus veſtimentis induantur, quæ juxta uſum, & conſuetudinem Provinciæ, ſeu illius patriæ, ubi morantur, habentur pro vilibus, & abjectis. Hoc autem diſcernere erit Miniſtrorum, quorum conſcientiæ incumbit, uti & judica-

S re,

re, in quali necessitate Fratres calceamenta portare possint.

7mò. Fratres, nisi esse vellint violatores suæ Regulæ, non habeant recursum ad peccuniam, nisi eô modô, prout à Nicolao III. declaratum fuit, ac in priori summario expositum.

8vò. Non licet Fratribus mendicare pecuniam, nec tale offertorium, seu oblatum pecuniarium accipere, quod in Ecclesia offertur, nec in hunc finem aliquem cippum tenere.

9nò. Non possunt Fratres recursum habere ad pecuniam, nec in itinere, nec in aliis locis, excepta necessitate infirmorum, & vestimentorum Fratrum, & pro aliis necessitatibus, quæ his sunt similes, & si mendicatò eis satisfieri non posset, quod si Fratres per substitutos quidpiam expendere vellent, ita se gerant, ut omnibus appareat, se nullam proprietatem, & dominium in illam pecuniam habere.

10mò. Non est licitum Fratribus demandare, quomodo pecunia sit expendenda, nec computus, aut rationes exigere, seu accipere possunt, nec quidquam superflui mendicare, nec pecuniam ad u-

sum

ſum exponere, nec exponi facere, minus ciſtas, vel claves pro conſervatione tenere.

11mò. Fratres nullius hæredes eſſe poſſunt, nec hæreditatem accipere: ſiquid ipſis legaretur; aut relinqueretur, non concedant, ut per modum legati tantum ipſis relinquatur, ut in ſuſpicionem venire poſſint, quod ſub ſiſtemate legati ſuam hæreditatem obtineant, nec ſimilia legata ullo modo accipere poſſunt.

12mò. Non poſſunt Fratres habere annuos redditus, ſicut nec poſſeſſiones, vel etiam eorum uſum, neque valent ſua in cauſa coram judice comparere ſæculari.

13tiò. Non poſſunt Fratres ullum teſtamentum exequi, neque illud urgere, ſed hominibus ſolùm conſilio eſſe queunt, quomodo circa teſtamentum ſit procedendum.


14tò. Non habeant Fratres ſuperfluos hortos, nec vineta, nec fundos excolendos habeant, ut fructus inde perceptos poſſint diſtrahere, aut diſtrahi facere.

15tò. Neque frumentum, neque vinum in horrea, aut cellaria congregata habeant, ubi ſe poſſunt quotidiana Elleëmo-

ſyna nutrire, & intertenere, niſi manifeſtum foret, Fratres ſecùs ali non poſſe niſi ſimili prævia proviſione: & hoc ſtet in conſcientia, & judicio Miniſtrorum, & Prælatorum.

16*tò.* Fratres nullam Eccleſiam ædificent, nec ſuſcipiant, vel alia id genus ædificia, quæ conſideratô numerô Fratrum inibi habitantium pro ſuperfluis, & minus neceſſariis haberi poſſent, ſed modeſtis, & humilibus ædificiis contenti ſint.

17*mò.* Cum Dominus Deus plus intueatur cor, quam manus ſervorum ſuorum, neque rebus ſtatum, ſed paupertatem ſervorum ſuorum non decentibus honerari velit, hinc Fratres non habeant prætioſam nimis ſuppellectilem, & ornatum Eccleſiæ ſimilem, qui conſiderata eorum paupertate ſuperfluus, nimis ſplenditus, & curioſus haberi poſſet.



PRA-

# FRATRI MINORI APPRIME UTILIS.

*Haud exhibetur istic Praxis exacta, & integra Devotionis illius, quam Frater Minor, seu quotidie, seu statîs temporibûs obire debet; Nam sic & intensæ orationis mentalis Schema, & multifariarum precum Liber, Examinis item tam Generalis, quam Particularis norma, nec non plurima alia connecti deberent, ex quibus verè devoti Fratris Minoris praxis coalescit. Quid igitur? Hîs recensitis per cuncta suppositis, specialis duntaxat quædam Praxis devotionaria proponitur, quæ & brevis est, ut adeò facilè exerceri possit; & tam elevatæ Spiritualitatis, ut cunctam devotionem ordinariam, quin & omnes Religiosæ vitæ actiones in condignitatem meriti, nedum animare præsupposito statu gratiæ, sed multifariè etiam dignificare videatur, vel ideo â singulis toto homine amplectenda.*

## INTENTIO EFFICAX QUOTIDIE manè cunctis Operibus præfigenda.

Dominus meus, & Deus meus! omnia quæcunque hodie cogitavero, dixero, fecero,

 aut

aut omisero, vel etiam passus fuero, omnes gressus, halitus, respirationes, omnes motus cordis mei, arteriarumque mearum, conjungo cum meritis omnium Sanctorum, cum meritis Beatissimæ Virg. MARIÆ, & cum ipsis meritis, ac amarissima Passione Salvatoris, Domini mei JESU CHRISTI, atque sic conjunctim offero me ipsum, & omnia mea ex puro amore ad Laudem, & Gloriam Sanctissimæ Trinitatis, Salvatoris mei JESU CHRISTI, in honorem B. V. MARIÆ, & omnium Sanctorum, præcipuè Patronorum meorum, in gratiarum actionem pro omnibus *beneficiis* mihi, & aliis collatis, in remissionem, & satisfactionem peccatorum meorum, in emendationem vitæ meæ, pro omnibus necessitatibus meis corporis, & animæ, ac aliorum, quibus quacunque ratione obligatus sum, & denique pro felici morte mea, idque ex motivis omnium virtutum, quæ habuerunt, habent, vel habere possunt omnes creaturæ in Cœlo, & in terra, & hoc ad tuum continuò Divinum beneplacitum adimplendum, qui es in Te, & ex Te bonus, ac omni amore dignissimus.

*Jam*

*Jam verò, quoniam ad opus meritorium, & Deo beneplacens, virtualis ad minus præscribatur intentio, actualis autem sit optima; hinc prædicta intentio commodè renovari poterit, ad opera omnino disparata, si non totaliter, & expressè, saltem implicitè in hunc, aut similem modum:* Domine DEUS! volo hoc perficere, vel agere secundùm intentionem manè elicitam, ut tuam Sanctissimam voluntatem omni possibili meliori modo adimpleam, & tibi complaceam, qui in Te bonus es, & omni amore dignissimus.

*Quia autem compendium perfectionis, sanctitatis animæ, ac conjunctionis cum Deo, in elicitione Actuum virtutum Theologicarum consistit; hinc eorum brevissima forma exhibetur.*

## ACTUS FIDEI.

O DEUS meus! Credo Te esse unum in Essentia, Trinum in Personis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum! Credo secundam Personam naturam humanam assumpsisse, quæ vocatur JESUS CHRISTUS, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex MARIA Virgine, passus sub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, &

ſepultus, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis, aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Credo eundem eſſe ſupernaturalem remuneratorem bonorum, & vindicem malorum in hac, vel in altera vita. Credo denique omnia quæ nobis credenda proponit Sancta Mater Eccleſia, ſive ſcripta ſint, ſive non ſint: Et hæc omnia ideo credo firmiſſimè, quia Tu Deus ea revelaſti, qui nec falli potes, utpote omniſcius, nec fallere, utpote in dicendo veraciſſimus.

## ACTUS SPEI.

O Deus meus! Spero per merita JESU Chriſti Salvatoris mei, accedente mea quoque cooperatione, remiſſionem omnium peccatorum meorum, omnia item neceſſaria corporis, & animæ meæ auxilia, gratiam denique finalem, & vitam æternam: atque hæc omnia ideo Spero me certiſſimè obtenturum, quia Tu ea promiſiſti, qui nobis ſumme bonus es, & in præſtandis promiſſis tuis fideliſſimus.

## ACTUS CHARITATIS.

O DEUS meus! & omnia mea! amo Te ex toto corde meo, ex tota anima mea,

&

& omnibus viribus meis, plus quam omnes creaturas, & plus quam me ipſum, & hoc purè, ac tantùm ideo, quia Tu in temetipſo, & ex temetipſo, in eſſentia videlicet Tua, ſummè, & infinitè bonus es, omniquc amore digniſſimus.

## ACTUS COTRITIONIS PERFECTÆ.

O Dominus meus, & Deus meus! doleo ex toto corde meo de omnibus peccatis meis à primo uſu rationis in hoc uſque momentum commiſſis, unicè ideo, quia Te offendi, qui in temetipſo ſummè, & infinite bonus es, ac omni amore digniſſimus, atque ex hoc unico, & puriſſimo motivo, propono firmiter emendationem vitæ meæ, auxiliante tua Sancta Gratia.

*Ex quocunque inferiori motivo conceptus dolor, vgr. ex turpitudine peccati, vel ex metu gehennæ, vel quia Deus nobis bonus eſt &c. eſt tantùm actus attritionis, qui eſto cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficiat, talis tamen eſt, ut ſe ſe, mens præſertim Religioſa, ſupra illum elevare, ſemper conniti debeat.*

## EXERCITIUM SPIRITUALE.

*Quod Mane, & Vespere, aut sæpius etiam de die, in occulto tamen, utiliter à piis animabus usurpatur, & frequentatur.*

Adoro Te ô Sanctissima Trinitas! Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Tres Personæ, unus, & solus Deus, illa adoratione; quâ Te adoravit, & adorat Beatissima Virgo MARIA, & omnis creatura in Cœlo, & in terra! *Hic reverentia facienda uno genu usque ad terram.*

Adoramus Te Domine JESU Christe, hìc, & ad omnes Ecclesias Tuas (*vertendo se ad locum, ubi servatur Sanctissimum Sacramentum*) quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum! centies, milliêsque adoretur, & laudetur (*hìc genuflectatur usque ad terram*) Sanctissimum Altaris Sacramentum.

Ave Maria (*Intentionem habendo, quod velit tantum gaudium Beatæ Virgini conferre, quantum attulit Angelus, eam salutando*) gratia plena, Dominus tecum, tua gratia sit mecum, nunc, & semper (*hic flectatur*) & præcipuè in hora mortis meæ. Me cum prole pia, benedicat Virgo Maria!

San-

Sancte Michaël Archangele Sancte Angele Custos mi (*hic additur Patronus diei, & Sancti, vel Sanctorum nomina, quorum diem colimus*) & Sancti Patroni mei orate pro me, nunc, & in hora mortis meæ. (*Hic gunuflectatur*) Regem Sanctorum omnium venite adoremus.

O Dulcissime JESU (*juxta diversas dies mysteria Passionis Dominicæ variando, vgr. die Dominica.* Qui pro nobis natus es! *Die Lunæ*: Qui pro nobis sanguinem sudâsti! *Die Martis*: Qui pro nobis flagallatus es! *Die Mercurii*: Qui pro nobis spinis coronatus es: *Die Jovis*: Qui pro nobis Crucem bajulâsti! *Die Veneris*: Qui pro nobis crucifixus, & mortuus es! *Die Sabbathi*: Qui pro nobis sepultus es) Adoro Te illa adoratione, quâ te adoravit, & adorat B. V. Maria, & omnis creatura in Cœlo, & in terra! *hic genuflectatur.*

## Post preces absolutas, aut quodcunque opus bonum.

O MARIA Mater Gratiæ, Mater Misericordiæ, respice oculô pietatis tuæ, hoc exigium servitutis meæ obsequium, quod melifluo cordi tuo emendandum, perficien-

ciendum, & Dilecto Filio Tuo repræsentandum offero, ad maximam ejus Gloriam, amorem, & beneplacitum, in æternam gratiarum actionem, & ad impetrandum mihi gratiam, quâ ei perfectissimè placeam in tempore, & æternitate.

O Dulcissime JESU! commendo Divino cordi tuo emendandum, & perficiendum, quidquid in hoc opere (*aut vespere post omnes preces, & diei actiones, dicatur:* quidquid hodie) minus dignè egi, & ad æternam Gloriam DEO Patri offerendum.

O Dulcissime JESU! supple per Sanctissima vulnera tua, & per amarissimam mortem tuam hæc imperfecta opera mea! *aut vespere dicatur* hodierna. *Imò.*

Ad Completum Horologii Sonum.

*Post dictum Ave MARIA pro felici morte, utile erit sequentes affectus addere, maximè cum homo solus est.*

O Dulcissime JESU! quidquid hac hora (*vel his horis*) cogitavi, & egi, illud commendo divino cordi tuo emendandum, Deòque Patri ad Laudem æternam offerendum, & quidquid subsequenti hora,

ra, *vel horis*, cogitavero, dixero, vel fecero, omnes gressus, halitus &c. conjungo cum meritis omnium Sanctorum, cum meritis B. V. M. &c. *ut supra in Intentione matutina. Vel breviter dici potest*: quidquid cogitavero, dixero, fecero, totum offero ex puro tui amore, secundum intentionem à me mane elicitam, & factam.

O Maria Mater misericordiæ! rogo Te per mortem tuam, qua Filio tuo assimilari voluisti, & felicissimum transitum tuum, ac gloriosissimam assumptionem Tuam, miserere mei, & ora pro me nunc, & semper, præcipuè in hora mortis meæ, Amen.

Electio Sanctorum Patronorum.

*Cùm omni tempore divinis indigeamus beneficiis, & auxiliis desuper, necque sciamus Mensem, Septimanam, diem, aut horam exitûs nostri ex hac vita mortali, ideo consultum est, piumque Sanctos sibi Patronos deligere, pro quolibet Mense, qualibet Septimana, die, & hora, qui apud Divinam Clementiam intercedant pro cunctis necessitatibus nostris tàm corporalibus, quam Spiritualibus, præsertim verò pro felici morte; Quæ Sanctorum Patronorum electio fieri poterit sequenti Methodo.*

Men-

## MENSTRUALIS.

Sanctus Patronus, vel Sancta Patrona, eligi poterit *vgr.* pro Januario S. Franciscus Salesius: pro Februario S. Margarita de Cortona, pro singulis denique mensibus Sanctus, vel Sancta, qui, vel quæ tali, aut tali mense celebratur.

## HEBDOMADALIS.

Pariter Sanctus aliquis (*vel Sancta*) qui illâ hebdomadâ colitur, vel aliàs ad placitum.

## DIURNUS.

*Pro die Dominico vgr.* eligi poterit S. Franciscus.
*Pro feria 2da.* S. Bernardinus.
*Pro feria 3tia.* S. Antonius de Padua.
*Pro feria 4ta.* S. N.
*Pro feria 5ta.* S. N.
*Pro feria 6ta.* S. N.
*Pro Sabbatho.* S. N.

## HORARIUS.

| *Pro horis Matutinis* | *Pro horis Pomeridianis.* |
|---|---|
| *Pro hora 6. vgr. S.Petrus.* | *Pro horâ 1. S.Marc.* |
| 7. - - S. N. | 2. - S.N. |
| 8. - - S. N. | 3. - S.N. |

9.

9. - - S. N.
10. - - S. N.
11. - - S. N.
12. - - S. N.

4. - S. N.
5. - S. N.
6. - S. N.
7. - S. N.
8. - S. N.

*Pro Horis noctis.*

*Hora* 9. - - S. N.
10. - - S. N.
11. - - S. N.
12. - - S. N.

1. - - S. N.
2. - - S. N.
3. - - S. N.
4. - - S. N.
5. - - - S. N.

*Penes quæ advertendum, quod Diurni, ac Horarii Sancti Patroni permanere debeant usque ad mortem; Menstruales vero, & Hebdomales, singulis Mensibus, & Septimanis mutentur.*

*Omnes quidem Sancti Patroni taliter electi, colendi sunt speciali devotione. Menstruales, Hebdomodales, & Diurni mane, ac Vespere, orando vgr. in honorem eorum* Pater & Ave, *aut sæpius per diem eos invocando: Horarii verò singulis horis ad sonum horologii, addendo in* Ave MARIA, *post verba*, Sancta MARIA Mater DEI, & Sancte Raymunde (*nomen scilicet Patroni Horarii*) Orate pro nobis &c.

*Pro*

*Pro illis verò horis, quibus dormimus, aut quibus, utpote distracti, vel occupati, orare non potuimus, honorandi sunt electi Sancti Patroni ante somnum, vel pro neglectis horis supplendo, vel pro futuris anticipando, cum uno ( ut dictum est )* Pater, & Ave.

*Ceterùm facillima, cunctos Sanctos Patronos, venerandi methodus est, orando sæpius Rosarium in honorem omnium, aut verò recitando Lytanias ex eorum nominibus compositas; quod postremum multæ piæ animæ practicant ante somnum, cum magna consolatione Spiritûs, in gratiarum nempe actionem pro beneficiis per intercessionem eorum obtentis, & pro ulterioribus obtinendis.*

## DEVOTIO ERGA PASSIONEM DOMINI.

De Passione Domini Nostri JESU Christi, S. Bonaventura de Stimul. Divini amoris Cap. 12. sequentia testatur: *Nihil scio in hoc mundo, quod tantùm ad Deum sapiendum illuminet, sicut Passio JEsu Christi, hic verè invenitur scientiæ plenitudo.* Ac in eodem loco magis infra: *Si vis ô homo! de virtute in virtutem, de gratia in gratiam,*

*tiam; de bono in melius proficere, quotidie quanta potes devotione, mediteris Domini Paſſionem; quia hæc mentem a terrenis alienat, & non ſolùm reddit angelicam, ſed Divinam; nihil enim in anima ita operatur univerſalem Sanctificationem, ſicut meditatio Paſſionis Chriſti.* B. verò Albertus Magnus, de Sacrificio Miſſæ ajt: *Utilius eſt quotidie aliquid de Paſſione Domini meditari, quàm ſingulis feriis ſextis totius anni, in panne, & aqua jejunare, diſciplinas uſque ac ſanguinis fluxum ſuſtinere, aut totum Pſalterium à capite, uſque ad calcem perlegere.* Cujus rationem exhibet Ludovicus de Ponte, part. 4. de Introduct. ad medit. *Quia prædicta opera, etſi bona valde, & utilia, non habent tantam vim ad pacificandum cor à ſuis vitiis, illùdque veritatibûs, & virtutibûs illuſtrandum, & inflammatis Divini amoris affectibûs perficiendum.* Quare pia, ac laudabilis praxis multorum eſt, Paſſionem Dominicam ita recolere, ut dum ad ſonum Horologii *Ave Maria* oratur, poſt verba: *Benedictus fructus ventris tui JESUS*, ſemper addatur ſpeciale quodam Paſſionis amariſſimæ



myſterium, ſecundùm horas diſtributum, ad ſequentem modum:

## HORIS VESPERTINIS, ET NOCTURNIS.

*Hora* 6. Qui pedes Diſcipulorum lavit.

7. Qui Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit.

8. Qui ſuæ Sanctiſſimæ Matri, & Diſcipulis valedixit.

9. Qui hortum ingreſſus Deo Patri ſe obtulit.

10. Qui in Agonia ſanguinem ſudavit.

11. Qui à Juda proditus, captus, & à Diſcipulis derelictus fuit.

12. Qui ad Annam ductus, & alapâ percuſſus eſt.

1. Qui ad Caipham ductus, & accuſatus eſt.

2. Qui à Petro ter negatus eſt.

3. Qui in domo Caiphæ illuſus, & cæſus eſt.

## HORIS MATUTINIS.

4. Qui à Sacerdòtibus condemnatus eſt.

5. Qui

5. Qui apud Pilatum falſo accuſatus eſt.
6. Qui ab Herode veſte alba illuſus, & ſpretus eſt.
7. Qui Barabbæ poſtpoſitus eſt.
8. Qui flagellatus, & Spinis coronatus eſt.
9. Qui à Pilato ad mortem crucis condemnatus eſt.
10. Qui Crucem bajulavit ad Calvariam.
11. Qui Crucifixus eſt in monte Calvariæ.
12. Qui in Cruce elevatus eſt.

HORIS POMERIDIANIS.

1. Qui pro inimicis ſuis Patrem oravit.
2. Qui in ſiti felle, & aceto potatus eſt.
3. Qui inclinato capite mortuus eſt.
4. Qui lanceâ transfixus eſt.
5. Qui de crue depoſitus, & ſepultus eſt.

Ac demum concludatur conſueto more: *Sancta MARIA, Mater Dei, ora pro &c.*

## DEVOTIO ERGA MATREM DOLOROSAM VIRGINEM MARIAM.

Sanctæ Elisabethæ de Schonaugia ( ut refert Trinum perfectum Volum. 3. Tract. 19. Erudit. 6. Num. 1114. ) exstitit revelatum, quod B. Mariæ Virgini à Christo concessum sit, ut Dolores ipsius recollenti, quemcumque favorem, ad ejus salutem conducentem, possit libere elargiri, præcipue verò istum, ut non nisi peracta de commissis culpis verâ pœnitentiâ è vita migraret. Sanctæ quoque Brigittæ revellavit Christus Dominus, de uno gravissimo peccatore: *Licet iste homo non dilexit eam corde* ( scil. B. V. M. ) *tamen quia consuetudo sua erat, compati doloribus ejus, quoties considerabat, & audiebat nominari, ideo compendium salutis invenit, & salvatus erit.* Salvatus inquiebat erit, nam tunc dum hoc revelatum fuit, detinebatur adhuc anima ejus in purgatorio: Hinc itaque apprimè utile erit devotionem fovere erga Matrem Dolorosam, ejus que Dolores. Possunt porrò dolores Beatæ Mariæ Virginis in duplici differentia per Septenarium nume-

merum dividi, ut adeò, si quis ad singulas decades Franciscani Rosarii, quæ septem sunt, singulos post verba illa *Sancta Maria* adjungat dolores, gratissima Dolorosæ Beatæ Virgini consurgat devotio. Poterit itaque Rosarium septem decadum Dolorosæ Beatæ Virginis persolvi duplici modo, ut sequitur:

## JUXTA PRIMAM 7. DOLORUM CONSIDERATIONEM.

*Decade* 1. *Sancta Maria* Quæ cum dolore filium tuum in templo obtulisti, & dolores à Simeone prædici audivisti.

*Decade* 2. Quæ Filium tuum ad Herode ad necem cum Dolore quæri vidisti.

*Decade* 3. Quæ Filium tuum cum dolore perditum triduò quæsivisti.

*Decade* 4. Quæ Filium tuum cum dolore Crucem bajulare vidisti.

*Decade* 5. Quæ Filium tuum cum dolore Cruci affigi vidisti.

*Decade* 6. Quæ Filium tuum cum dolore de Cruce deponi vidisti.

*Deca-*

*Decade* 7. Quæ Filium tuum cum dolore ſepeliri vidiſti.

SECUNDUM ALTERUM 7. DOLOREM CONSIDERATIONEM.

*Decade* 1. *Sancta Maria* Quæ cum dolore in ultima Cœna Filio tuo valedixiſti.

*Decade* 2. Quæ cum dolore Filium tuum flagellari vidiſti.

*Decade* 3. Quæ cum Dolore Filium tuum ſpinis coronari vidiſti.

*Decade* 4. Quæ cum Dolore Filium tuum Crucem bajulare vidiſti.

*Decade* 5. Quæ cum dolore Filium tuum Cruci affigi vidiſti.

*Decade* 6. Quæ cum dolore Filium tuum de Cruce depoſitum in ſinum ſuſcepiſti.

*Decade* 7. Quæ cum dolore Filium tuum ſepeliri vidiſti.

Quodſi verò occaſio non foret Roſarium perſolvendi, ſaltem ſeptem Salutationes Angelicæ commodè dici poterunt, additis Myſteriis Dolorum B. V. Mariæ.

*Non impediaris orare ſemper.*
Eccleſ. 18. v. 22.

F I N I S.

